

110

DECADES PLANTARUM NOVARUM

Præsertim ad floram Europæ spectantes

AUCTORE

MICHAELI GANDOGER

Plurimum societ. sodali.

Qui sapit, vidit quanta extricata
et investigata restant.

(Fries, novit. flor. suec.
mont. III, p. 262).

FASCICULUS I.

PARISIIS

F. SAVY, BIBLIOPOLA

Via dicta Hautefeuille, 24

—
1873

DECADES

PLANTARUM NOVARUM

OUVRAGES DU MÊME AUTEUR.

Révision du genre **CRATÆGUS** pour les sections des **OXYACANTHA** L. et **OXYACANTHOIDES** THUILL. Grand in-8°.

Catalogus Rosarum Europæ ac Orientis etc., hucusque cognitarum, novo fundamento instaurandus. In-4°.

Prodromus monographiæ Rosarum europæarum orientaliumque. In-8°.

Observations sur les **CENTAUREA DECIPIENS** THUILL., **TUBULOSA** CHABERT et **TRANSALPINA** SCHLEICH. In-8°.

Collectanea rosagraphica, sive Rosarum omnium in Europa confinibusque hucusque cognitarum; enumeratio systematica. In-8°.

Revue critique du genre ULEX. In-8°.

De quibusdam **SENECIONIS** e grege **ERUCIFOLII** D. C. ac **JACOBÆ** L. novis speciebus adhuc igitur ignotis. In-8°.

Flore Lyonnaise et des départements du Sud-Est. Un vol. in-18.

POUR PARAÎTRE PROCHAINEMENT.

Revue monographique des sections européennes et orientales du genre ROSA. 11 fascicules grand in-8°, savoir :

Fasc. I.....	<i>Synstyla.</i>	Fasc. VII.....	<i>Alpina.</i>
— II.....	<i>Gallicana.</i>	— VIII.....	<i>Canina.</i>
— III.....	<i>Cinnamomea.</i>	— IX.....	<i>Glandulosa.</i>
— IV.....	<i>Eglanteria.</i>	— X.....	<i>Rubiginosa.</i>
— V.....	<i>Pimpinellifolia.</i>	— XI.....	<i>Tomentosa.</i>
— VI.....	<i>Sabina.</i>		

à M. Trelease
hommage de l'auteur
M. Gandoget

QK281
G344
1875
fasc. 1

DECADES
PLANTARUM NOVARUM

Præsertim ad floram Europæ spectantes

AUCTORE

MICHAELI GANDOGER

Plurium societ. sodali.

Qui sapit, vidit quanta extricata
et investigata restant.

(Fries, *novit. flor. suec.*
mant. III, p. 202).

FASCICULUS I.

Mo. Bot. Garden,
1897.

PARISIIS

F. SAVY, BIBLIOPOLA

Via dicta Hautefeuille, 24

1875

DECADES

PLANTARUM NOVARUM

PRÆSERTIM AD FLORAM EUROPÆ SPECTANTES.

AD LECTOREM.

Multæ quidem plantæ vulgatæ sunt; unusquisque prope dies novas prodit, nec tantarum divitiarum finis apparet! Ignotæ adhuc notas, me iudice, numero superant; quam certe rem mirabuntur homines, præsertim qui, præjudiciis vel contradicendi cura, obcæcantur! Hanc, igitur, numerosam novarum specierum seriem, quodam cum timore, in lucem profero. Me non fugit eas forsitan diffidenter acceptas fore, et multas talem actum mihi vitio censuras esse, putantes quod difficilis de specie quæstio adhuc solvenda non sit. Attamen inquam, sive sit tempus, sive non sit, procul dubio sat me plurimas ab invicem discrepentes, et characteribus diversissimis species inventas, eodem nomine designare non potuisse: illæ autem, ut secerni possent, creatis a me nominibus, ornatae sunt. Sive vero, istæ plantæ species sint propriæ, sive varietates, sive gentes (*races*), mihi parum refert; satis est ut formæ, de quibus omnes tacuerunt, per me cognoscantur.

Tali innixus principio, omnibus generibus omnibusque speciebus floræ Europæ atque confinium, sedulô studui; istius quidem laboris fructus in meis *Decades* et in operibus postea scribendis, referentur. Quædam de quibuscumque familiis et generibus et speciebus europæis præsertim, quas aliis numerosiores herbarium ostendet, scribentur: sic de florâ regionum quibus studebo, quisque optime sentiet.

Longiores quidem explicationes res postulant, sed, ut brevitati consulerem, ad præcipuos tantum characteres, quibus ab invicem distinguantur species novæ, spectavi; quandô plus æquo describitur, nocet, nedum aliquid boni pariat: præcipui nempe characteres nullius utilitatis rebus, quæ tædium generant, obscurantur. Ut paucis rectisque verbis, differentias específicas cognitu utilissimas statuerem, operam dedi, sperans omnes eodem ac me modo judicaturos.

Scribebam ad Arnas (Rhône), mense aprilis 24, 1874.

M. GANDOGER.

DECAS I.

1. **Rosa stupens**, Gdgr.

Ramorum aculeis dimorphis, aliis a basi dilatata compressaque subincurvis, aliis gracilibus rectis glanduliferis; foliolis sæpissime magnis obovato-rhomboidalibus, pallide virentibus, supra glabris, subtus præter glandulas minutas utrinque adpersas ad nervos pubescentibus; petiolis minute glanduloso-hirtellis, aculeolatis; stipulis elongatis, basi valde angustatis superne dilatatis, subtus subglandulosis, auriculis divergentibus; pedunculis subsolitariis, longissimis, parce hispido-glandulosis; bracteis sat brevibus, dorso villosulo-glandulosis; calycis tubo ovato, glabro; sepalis profunde pinnatipartitis extus glandulosis, post anthesim patulis dein deciduis, non error corolla longioribus; stylis liberis lanatis, disco conico; petalis mediocribus amœne roseis, margine haud ciliatis; fructu ovato basi depresso, glabro, sanguineo, erecto.

Habitat in *Gallie centralis-orientalis* fruticetis sepibusque; *Rhône*: Tassin à Méginant (*Herb. Boullu*).

Affinis *R. flexuosæ* Rau *Enum. ros.* p. 127 non Raf. et *R. pseudo-flexuosæ* Ozanon in *Billotia* I, p. 42, a quibus differt tubo calycis glaberrimo, pedunculis multo longioribus, aculeorum formâ, etc.

Suffrutex, ut videtur, gracilis, humilis, flexuosus; radix longissime reptans; pedunculi 7-8 cent. longi, subflexuosi; foliola subtus utrinque glandulosella pallida, subglaucescentia; foliolorum serratura bidentato-glandulosa, divaricata, costaque media glandulosa.

2. **Ribes tomentosum**, Gdgr.

Molliter cano-tomentosum; foliis 5-lobatis, supra pilis raris adpersis, subtus canescentibus, dentibus ovato-cuspidatis; petiolis tomentosis basi parce fibrillosis; racemis floriferis erectis; pedicellis lanatis, 1 mill. longis, bracteam æquantibus; calyce villosa; corollæ 6 mill. diam. latæ, petalis basi purpureis.

Hab. in nemoribus subalpinis *Galliæ orientalis*, ad *Sassenage*, prope *Grenoble* (Isère). (*F. Clément*).

Indumento cinereo-tomentoso, species curiosa ab omnibus mihi notis, distinctissima. Intermedium præbet *R. multifloro* Kit. in *Ræm. et Schult. Syst. V*, p. 493 (*R. vitifolio* Host, *Aust.*) et *R. spicato* Robs. in *Trans. of Linn. soc. III*, p. 240, a quibus recedit, bracteis ovatis villosis pedunc. haud brevioribus, fructu sanguineo, sapore acerbissimo, racemis erectis forsitan tandem plus minus patulis deflexisve, quibus notis, cum formis *R. petræi* Wulf. in *Jacq. misc. II*, p. 36, etiam accedere videtur. — Adsunt aliæ species, nempe: *R. Fleischmanni* Rehb. *fl. exc.*, et *R. Hladnikianum* Rehb. *loc. cit.*, mihi descriptione tantum notæ, quæ cum meo *R. tomentoso* etiam habent affinitatem; sed potius, meo sensu, ad *R. alpinum* pertinent.

3. **Rumex Verrietianus**, Gdgr.

Virens, caulis gracilis simplex; foliis ovato-rotundatis, obtusissimis, 15-20 mill. latis; auriculis obovatis, subdeflexis, breviter acutis; petalis haud aut vix albo-marginatis.

Hab. in *Galliâ australi*, circa *Monspelim*, loco dicto *Pic Saint-Loup* (*Ch. Verriet-Litardière*).

4. **Rumex aemophorus**, Gdgr.

Totus sat virenti-glaucescens, caulis gracilis elatus, ramosus, virgatus; foliis oblongo-lanceolatis, acuminatis, 19-22 mill.

latis, auriculis oblongo-lanceolatis acutis, horizontalibus; petalis ex albo haud aut vix marginatis.

Hab. in *Pyrenæis centralibus*, ad *Estilbe* de *Luz* prope *Luz-Saint-Sauveur* (*Bordère*).

Ad gregem *R. scutati* L. accedit, etiam hæc species distinctissima, sed potius cum *R. hastifolio* M. Bieb. *fl. taur.-cauc.* congruit.

5. **Salix parisiensis**, Gdgr.

Cortice virescenti; foliis oblongo-lanceolatis, breviter acuminatis, glabris, subtus glaucis, integerrimis; amentis erectis ad ramos contiguos, 20 mill. longis, 3 mill. latis; squamis floriferis ovatis, nigricantibus, villosis, apice inconspicue attenuatis.

Hab. circa *Parisiorum Lutetiam*, secus ripas *la Seine à Neuilly* (*Herb. Bourdin*).

Species foliis sæpissime integerrimis, amentisque erectis, sat conspicua, et prope *S. Lambertianam* Smith *fl. brit.* p. 1041, collocanda.

6. **Salix cuneifolia**, Gdgr.

Ramis fuscescentibus, gracilibus; foliis (junioribus) oblongis apice dilatatis breviterque attenuatis, basi longissime attenuato-cuneatis, rugosis, nervosis, subtus glaucescentibus, margine undulatis, adultis verò utrinque glaberrimis; amentis 5 cent. longis, valde compactis, erectis, versus medium curvatis, 15-18 mill. latis; squamis floriferis ovato-obtusis.

Hab. in *Corsicâ*: bords de la *Mandriale*, au-dessous de *San-Martino* (O. Debeaux, *Plant. cors. exsicc.*, 1867).

Foliis bullato-rugosis eis *S. auritæ* mire referentibus, subspathulatis, basi cuneatis, species conspicua. Amenta præcoces. Affinis *S. versifoliæ* Wahlmb. *fl. lapp.* p. 271, tab. 18, fig. 2, pro cuius typo eam lubenter haberem.

7. **Salix corsica**, Gdgr.

Ramis purpureis, dessicatione nigricantibus; foliis anguste oblongis, abrupte sed breviter acuminatis, glabris, integerrimis; amentis 25-28 mill. longis, 3 mill. latis, aliis erectis cauli contiguus, aliis patulis interdum deflexis; squamis floriferis nigrescentibus, apice acutis adultis, subglaberrimis.

Hab. in *Corsicâ*, cum præcedente (O. Debeaux *loc. cit.*).

Affinis *S. purpureæ* L. sp. 1444 et a *S. rugulosæ* nostræ diversissima manet, ut videtur.

8. **Passerina Clementi**. Gdgr.

Foliis laxissime imbricatis, remotis, obovatis, subattenuatis, extus glaberrimis, ex viride lurido-flavicantibus; indumento caulium lutescente; ramis erectis; floribus 2 mill. diam. latis.

Hab. in *Galliâ australi prope Marseille* (F. Clément).

Affinis *P. hirsutæ* L. sp. 513, sicut et duæ sequentes, a quibus foliis laxissimis præsertim recedit.

9. **Passerina Chouletti**, Gdgr. *P. hirsuta* Desfont. *Flor. Atlant.* 1, 330; Choulette in *Fragm. flor. Alger. exsicc.* n° 264, non Linn.

Foliis densissime imbricatis, obovato-obtusiusculis virenti-luridis, extus glaberrimis; ramorum indumento canescente, ramis erectis confertis; floribus 3-3½ mill. latis.

Hab. in *Algeriâ*: circa *Constantine*, in collibus siccis (S. Choulette).

Floribus majoribus, foliis valde confertis a præcedent ediffert.

10. **Passerina Telonensis**, Gdgr.

Foliis dense imbricatis, elliptico-obtusiusculis e rubro atrovirentibus, extus villosulo-cinereis; indumento albo-argenteo; ramis confertis, arcuato-deflexis; floribus 2 ½ mill. latis.

Hab. in *Galliâ australi* prope *Toulon* (*V. Puisieux*).

A duabus præcedentibus, foliis dorso breviter hirtellis discedit. Caules ramosissimi, robusti, densissime foliosi.

DECAS II.

1. **Rubus Debeauxii**, Gdgr.

Caulium sterilium angulis prominulis, acutis; aculeis validis numerosis, e basi compresso-dilatata aduncis; ramis floriferis pubescentibus; folia quinquefoliolata, foliolis late ovato-ellipticis, basi rotundatis, apice vix acutis, supra glabris, subtus tomentoso-albicantibus, præterque costam aculeatam lobulatis; serraturis breviter ovato-mucronatis; petiolis villosis, conspicue aculeatis, haud aut vix canaliculatis; panicula ampla, laxa ramosa, villosa-cinerea, aculeatissima; pedunculis longiusculis valde aculeolatis; sepalis dorso inermibus, cinereo-pulverulentis, submucronulatis, post anthesim deflexis; flores semi-pleni, petalis obovatis, roseis, basi parum attenuatis; carpellis vinosis, nigris, glabris.

Hab. in sepibus *Galliæ austro-occidentalis*: *Brax à Goulard* prope *Agen* (*O. Debeaux*) ubi haud rarus. Affinis est saltem *R. dumetorum* *W.* et *N.* in *Rubi germ.* (*tab. 45.*)

2. **Cotoneaster Arvernensis**, Gdgr.

Foliis obovatis, basi subattenuatis, apice attenuati-acutiusculis; flores solitarii, patuli; bracteis purpurascensibus, basim calycis haud æquantibus; sepalis triangulari-lanceolatis.

Hab. in *Arverniâ Galliæ*: *Mont-Gerbier* (*Malarbet*). Species foliis parvis, ramis densis confertisque, foliosis, prope

C. vulgarem. Lindl. in *Trans. of Linn. soc.* XIII, p. 101, ut et tres sequentes, collocanda.

3. **Cotoneaster Mathonneti**, Gdgr.

Foliis obovato-oblongis, utrinque subrotundatis; flores 1-2 omnino arcuato-deflexi; bracteis rubricantibus, dimidiam calycis partem inferiorem æquantibus; sepalis triangularibus parum acutis.

Ramis laxis parce foliosis.

Hab. in *Galliâ austro-orientali*: Hautes-Alpes; *Le Lautaret, aux Gardes* (Mathonnet).

4. **Cotoneaster suboblonga**, Gdgr.

Foliis obovato-oblongis, utrinque subrotundatis, apice conspicue mucronatis; floribus 1-2, erectis, haud patulis, interdum ad ramos subcontiguis; bracteis purpureis, basi calycis multo brevioribus; sepalis ovato-obtusiusculis.

Hab. in *Pyrenæis centralibus*: *Gèdre* (Bordère).

Folia parva; rami denudati, parsissime foliosi.

5. **Cotoneaster pyrenaica**. Gdgr.

Foliis obovatis, margine planis, utrinque rotundatis, apice haud aut vix mucronatis; flores porrecto-patuli, bracteis purpurascensibus, basim calycis nunquam æquantibus; sepalis ovato-obtusiusculis.

Hab. in *Pyrenæorum centralium* nemoribus, prope *Gèdre* (Bordère).

Rami conferti sat foliosi; flores extus sat pallide virescentes.

6. **Rosa leptostyla**, Gdgr.

Ramis gracilibus decumbentibus; aculeis debilibus, subsetaceis, ad ramos floriferos sat numerosis; foliolis parvis

oblongo-acutis, basi breviter attenuatis, glaberrimis, ad costam subtus minute glandulosis, simpliciter serratis; petiolis aculeatis glabris, sparsim glandulosis, stipulis parvis, auriculis divergentibus; pedunculis gracilibus, setulosis; calycis tubo obovato, omnino hispido; sepalis margine glandulosis, dorso subeglandulosis, 2 integris, 3 utrinque 2 pinnulis auctis; stylis glabris, ultra discum subconicum in columnam gracilem elongatum coalitis; petalis albis; fructu parvo, obovato hispido, utrinque breviter attenuato, glauco-sanguineo.

Hab. in *dumetis Galliae austro-occidentalis*: *Arasse* prope *Agen* (*abb. Garroute*).

Species, sicut et sequens, *R. prostratae* D. C. *Cat. hort. Monsp.* p. 138 affinis, sed notis supra indicatis, conspicue discedens.

7. **Rosa affinior**, Gdgr.

Ad ramos floriferos aculeis geminatis, inclinatis, a basi rotundata vix dilatatis; foliolis oblongo-lanceolatis, late cordatis, glaberrimis, ad costam mediam subtus eglandulosis, simpliciter obtuseque serratis; petiolis glabris, subinermibus, unifariam parcissime glandulosis; stipulis minutis; pedunculis 1-3 hispidis; tubo obovato omnino hispido; sepalis subpinnatis dorso glandulosis, apice in acumen dilatatum productis; stylis ultra discum subelevatum in columnam elongatam coalitis; petalis albis; fructu glanduloso, breviter obovato, atosanguineo.

Hab. cum praecedente prope *Agen* (*abb. Garroute*).

A nostra *R. leptostyla*, foliolis basi ampliuscule cordatis nec attenuatis, majoribus; petiolis minus glandulosis, sepalis dorso magis glandulosis etc. facile distinguitur.

8. **Polygonum Royi**, Gdgr. — *P. alpinum* Boissduval *fl. fr.* II, p. 358, non All.

Caule 30-35 cent. alto, superne subramuloso; foliis oblongo-lanceolatis, acuminatis, 50-60 mill. longis, basi sabattenuatis, planis, integris, præter marginem ciliatam utrinque glabriusculis; vaginis foliorum brevibus, glabrescentibus; cymis compactis dense floriferis, erectis.

Hab. in *Delphinatus alpihus* · *Montagnes des Oulles et Taillefer en Oisans* (J. Roy).

Ad gregem *P. alpini* All. *fl. ped.* II, p. 206. hæc species, ut et duæ sequentes, spectant.

9. **Polygonum mollifolium**, Gdgr.

Caule 60-80 mill. alto, erecto, sat ramoso; foliis, oblongis longissime acuminatis, 10-13 cent. longis, basi breviter ac abrupte attenuatis, margine planis vel subundulatis, utrinque molliter pubescentibus; vaginis hirtellis, elongatis; cymis patulo-corymbiformibus, laxissime floriferis.

Hab. in *alpihus Helvetiæ*: *Le Haut-Valais* (Thomas plant. exsicc.)

Forsan idem est ac *P. divaricatum* Vill. *Fl. Dauph.*

10. **Polygonum vesulum**, Gdgr.

Caule 40-50 cent. alto, erecto, subsimplici; foliis oblongo-lanceolatis, acuminatis, 80-85 mill. longis, basi parum attenuatis, margine undulatis, crenulatis, supra sparsim pilosis, subtus minute pubescentibus; vaginis villosis; cymis subthyrsoides ovato-compactis, erectis.

Hab. in *alpihus Delphinatus*: *Le Mont Vizo* (abb. David).

DECAS III.

1. **Daphne brigantiaea**, Gdgr.

Suffrutex humilis (6-10 cent.) basi ramosissimus, depressus; foliis obovato-oblongis, 8-10 mill. longis, 3 1/2-4 mill. latis apice rotundato-mucronatis; bracteis ovato-truncatis; floribus purpureis, 12 mill. longis foliis multo longioribus; corolla 7 mill. diam. lata, lobis obovato-obtusis extus subhirtellis; calycis tubo omnino valdeque tementello.

Crescit in *alpibus Delphinatus* circa *Briançon* (*Reverchon* pl. exsicc.)

Illa autem species, sicut et quatuor sequentes, prope *D. cneorum* L. spec. 511, collocari debet.

Cortex purpureus; rami patulo-deflexi, interdum reptantes.

2. **Daphne chamœbuxus**, Gdgr.

Humilis, ramosa, 12-15 cent. alta, cortice purpureo suffuso; foliis late (4 1/2 5 mill. obovato-oblongis, 12 mill. longis, apice rotundatis, emarginatis, emarginatura breviter mucronulata; bracteis ovato-truncatis; floribus 13 1/2 mill. longis, folia superantibus; corolla 9 1/2 mill. diam. lata, lobis obovato-oblongis, obtusis, extus pilosulis; calycis tubo dorso villosocanescente.

Crescit cum præcedente (*Reverchon*, plant. exsicc.)

Habitu validiore, foliis floribusque majoribus quam in præcedente, hæc species, ut et *D. Brigantiaea* a tribus sequentibus, floribus brevioribus præsertim recedunt.

3. **Daphne orogenes**, Gdgr.

Humilis, 20-25 cent. alta, ramis purpurascens, laxis, denudatis; foliis oblongis, 12 mill. longis, apice obtusis haud aut vix emarginatis sed aperte mucronulatis; bracteis obovato-truncatis; floribus 11 mill. longis, foliis dimidio superantibus; corolla 7 mill. diam. lata, lobis obovato-ellipticis apice subrotundatis, dorso glabris; calycis tubo extus subglaberrimo.

Hab. in *Pyrenæis centralibus* : *Heas* (*Bordère*).

Ob flores extus fere omnino læves nec tomentellas, hæc forma ab omnibus hujus gregis speciebus, eximie discedit.

4. **Daphne alpestrivaga**, Gdgr.

Suffrutex 25 cent. altus, ramis denudatis, parce foliosis, cortice obscure purpureo-cinerascente; foliis oblongis 3 mill. latis, 15-17 mill. longis, apice breviter attenuatis mucronulatis; bracteis obovato-acutis; floribus 9 mill. longis, foliis paulò superantibus; corollæ lobis obovato-obtusiusculis, dorso villosis; tubo calycis extus hirtello.

Hab. in alpihus *Delphinatus*.

Quædam supra descriptæ species cum *D. Verloti* Gren. et Godr. *fl. de fr.* III, p, 59, cujus specimina authentica examinare potui, maximam habent affinitatem, sed ab ea corollarum necnon bractearum forma, corticis vetusti colore, præsertim distinguuntur.

5. **Crepis oxyphylla**, Gdgr.

Caule fere omnino subglaberrimo; foliis omnibus angustissime oblongo-lanceolatis, acuminatis, dentatis, haud runcinatis 6 mill. latis; ramis pedicellisque basi bracteis elongatis, filiformibus mire obductis.

Hab. in *Galliâ occidentali* — *Vendée* : *Luçon* (abbé Guinand).

Foliorum et bracteis floriferis forma a sequentibus conspicue diversa, omnes ad gregem *C. pulchræ* L. sp. 1134, spectantes.

6. ***Crepis trichosticta***, Gdgr.

Caulibus omnino valde glanduloso-hirtellis ; foliis oblongis apice parùm attenuatis, basi attenuatis, amplexicaulibus villosis, saturate virentibus, serratis haud runcinatis, 21-24 mill. latis ; foliorum auriculis erectis, triangulari-acutis.

Hab. in *Pedemontio* ; *Vallée d'Aoste* (Thomas, plant. exsicc.)

7. ***Crepis Vendœana***, Gdgr.

Caule ad $\frac{1}{4}$ part. infer. villosa, superne glabra ; foliis anguste oblongo-lanceolatis sat acutis, basi paulo attenuatis, villosis, amœne virentibus, 11-13 mill. latis, subintegerrimis, amplexicaulibus ; auriculis vix perspicuis, subrotundatis.

Hab. in *Galliâ occidentali*. — *Vendée* ; *Luçon* (abb. Guinand.).

A præcedente foliis duplo angustioribus acutioribusque, habitu magis rigido etc., differt.

8. ***Crepis cichoroides***, Gdgr.

Caule usque ad dimidiam infer., partem villosa ; foliis late oblongis, apice attenuato-obtusiusculis, basi attenuatis, pubescentibus, pallide viridibus, 20-23 mill. latis, inferioribus mediisque caulinis runcinato-pinnatifidis, superioribus autem valde dentatis, sessilibus, haud aut vix amplexicaulibus ; auriculis nullis.

Hab. in sabulosis *Delphinatus* circa *Grenoble* (*Chavanis ! Cornet ! Verlot ! David ! Chabert !* etc. et ipse).

A tribus præcedentibus habitu ramosiore, magis etiam rigido, foliis lyrato-piunatifidis nec auriculatis, valde distincta.

9. **Crepis Deloynei**, Gdgr.

Caule usque ad partem dimidiam inferiorem hirsuto; foliis oblongo-obtusis, basi attenuatis, sessilibus, haud amplexicaulis, parce inciso-piunatifidis, villosis, 16-18 mill. latis, pallide virentibus, superioribus subdentatis, lanceolatis.

Hab. in *Galliâ occidentali*: ad colles *Pont-Achard* prope *Poitiers* (P. Deloynes).

Præcedenti valde accedere videtur, sed foliis paulo angustioribus, basi minus runcinatis, superioribus præsertim lanceolato-acutis, discedit.

10. **Iris polychroa**, Gdgr.

Caule oblique ascendente, 5-7 decim. alto, plurifloro (4-5), foliis longiore, basi ut et foliis inferioribus ac radicalibus ex rubro-violaceo tincto; foliis ensiformibus, intense virenti-subglauciscentibus, 2 2 1/2 cent. latis, caulinis mediis falcatis; spathæ sat ventricosæ apiceque attenuatæ, valvis scariosis margine violaceis, apice acutis; pedunculis 3 mill. longis, ovario triplo brevioribus; ovario 9-10 mill. longo quadragulato-rotundato, angulis obtusissimis; tubo perianthi 12 mill. longo, ovario sublongiore, omnino spathâ tecto; segmentis exterioribus deflexis, oblongo-spathulatis, basi paulatim attenuatis, apice late rotundatis, sat emarginatis, margine planis vel supra subrevolutis, pilis aurantiacis; segmentis interioribus erectis, basi valde crispo-undulatis, subitoque contractis, apice late elliptico-oblongis, emarginatis, extus haud venosis, apice livide pallideque violaceo-lutescentibus, basi vero livide luteo-violaceis, intus ad unguem bruneo-punctatis; stigmatibus oblongis, livide luteis, 2/3 sup. segmenta-

rum æquantibus, labio superiore profunde bifido, lobis acutis, diffluentibus, externe inæqualiter denticulatis, interne autem integris subtusque plicatis; antheris 9 mill. longis, basi 14 mill. longa subduplò brevioribus; capsulis.....; florum segmentis exterioribus extus lutescentibus, apice velutinis violaceo-purpureis, medio basique lineis albis purpureisque notatis, segmentis tandem interioribus plerùmque lividis ex luteo-dilute violaceis.

Habitat ad stagnorum margines, in herbosis *Galliæ centrali-orientalis*; *Rhône*: prope *Arnas*, loco dicto «aux Rues.» — Floret initio Maii. Species florum colore valde notabilis. Nisi cum *I. tristi* Rchb. *Ic. germ.* IX, p. 3 habet affinitatem. *I. Reichenbachii* Heuffel, in *Verhandl. zool. bot. gesel.* (1858) p. 206, etiam ad nostram accedit speciem, quæ sit *I. attica* Boiss. et Heldr. in *Boiss. diagn. plant. orient.* Ser. II, fasc. IV, p. 91, ab auctoribus ad *I. lutescentem* relata, nunc haud facile est, cur in herbario perianthi segmentorum color omnino evanescit.

DECAS IV.

1. **Rosa Amansii**, Gdgr. — *R. sempervirens* St-Amans fl. Agen. ex parte! non Lin.

Frutex tripedalis, haud aut vix scandens; aculeis parvis inclinatis, dilatatis, ad ramos floriferos sparsis; foliis magnis oblongo-acuminatis, basi breviter truncatis, nitidis, præter costam subtus parcissime glandulosam, utrinque glaberrimis, simpliciter serratis; petiolis, glabris, aculeatis, sparsim glandulosis; stipulis minutis, rubentibus, angustis; auriculis acu-

minatis convergentibus; pedunculis hispidis, corymbosis, longissimis; tubo calycis ovato, setuloso; sepalis. stylis ultra discum planum in columnam ex toto villosam fasciculatis; petalis albis; fructu ovato-rotundato, apice truncato, glanduloso, atosanguineo.

Hab. in *Galliâ austro-occidentali*: *Moirax* prope *Agen* (O. Debeaux.)

Ex affinitate *R. sempervirentis* L. sp. 704, *R. Broteri* Tratt. *Mon. ros.* II, p. 98 et *R. scandentis* Mill. *Dict.* n° 8, notis supra allatis distinctâ. Doleo quod sepala sint ignota.

2. **Rosa Amici**, Gdgr.

Frutex 8-10 pedalis altus, flexuosus; aculeis minutissimis debilibus, ad ramos floriferos subevanidis; foliis obovato-oblongis, sat breviter acutis, basi subtruncatis, præter costam mediam subtus parcissime hirtello-glandulosam utrinque glaberrimis, simpliciter arguteque serratis; petiolis aculeatis minutissime puberulis, sparsim glandulosis; stipulis virentibus; auriculis divaricatis; pedunculis glandulosis; tubo hispido subobovato; sepalis. stylis ultra discum planiusculum in columnam lanatam coalitis; petalis. fructu ovoïdeo.

Habitat in *Galliâ austro-occidentali*: *Brax* prope *Agen* (O. Debeaux).

Species, ut videtur scandens, primo intuitu *R. sempervirentem* L. vel *R. microphyllam* D. C. *Cat. hort. Monsp.* p. 138, non Desf. nec Willd. nec Hort. ! referens, sed ob foliolas petiolesque hirtellos, verosimiliter prope *R. balearicam* Desf. ex D. C. *Prodr.* II p. 605, collocanda.

3. **Salix micromeriæfolia**, Gdgr.

Suffrutex foliis ovato-ellipticis, basi attenuatis, apice rotundato-subattenuatis, 2½ mill. latis, 5 mill. longis, nervosis;

squamis floriferis pallide lutescentibus, angustis, apice sublan-
ceolatis; capsulis geminatis, raro ternatis.

Hab. in *montis Cenisii Pedemontii* pratis alpestribus.
(*abb. P. Fray*).

Suffrutex parum floriferus; rami sat elongati. Affinis ut
et sequens *S. serpyllifolia* Scop. ex Willd. *spec.* IV, p. 684.

4. **Salix Perrieri**, Gdgr.

Foliis plerisque ovatis, apice rotundato-obtusis, interdum
retusis, basi abrupte attenuatis, 3 mill. latis, 4 1/2 mill. longis,
nervosis; bracteis angustis apice attenuato-acutiusculis;
capsulis raris, 2-3 nis.

Hab. in *Sabaudiâ*: sommités entre *la Grand' Pariroz* et
la Cyclaz, prope *Hauteluce* (E. Perrier).

Suffrutex brevior quam in præcedente; rami parvuli; folia
breviora sed latiora.

5. **Rumex erythrocarpus**, Gdgr.

Caule parum elato; foliis omnibus oblongis, breviter lan-
ceolatis, saturate viridibus, subglauciscentibus, inferioribus
petiolatis, superioribus sessilibus, basi late amplexicaulibus,
minutissime puberulis; auriculis brevibus, obtusis, rectis;
racemis floriferis apice tantum laxis; fructu ampliuscule
rotundato, apice valde emarginato, haud attenuato, alis fructus
latis, eximie purpureis.

Hab. in *Pyrenæis centralibus*, prope *Brada* (Bordère).

Affinis *R. montani* Desf. tab. 48, ed. 2^a, a quo præter
fructus formam, alarum colorationem, foliis puberulis
recedit.

6. **Lavandula fascicularis**, Gdgr.

Caulibus oblique ascendentibus, condensatis, valde foliosis;
foliis linearibus, dense fasciculatis, omnibus erectis, obtusius-

culis ; spicis oblongis, compactis ; foliis inferioribus $\frac{1}{2}$ partem infer. earum æquantibus ; bracteis late ovato-obtusiusculis submucronatis.

Hab. in siccis *Italiae* (Herb. Sieber).

Species foliis angustatis prope *L. stœchadem*. L. sp. 800, ut et quatuor sequentes, collocanda.

7. **Lavandula corsica**, Gdgr.

Caulibus erectis, ramosis, rigidis, laxe foliosis ; foliis sat laxis, lineari-acutiusculis, erecto-subpatulis ; spicis oblongis, condensatis, foliis inferioribus $\frac{1}{5}$ circiter partem earum inferiorem æquantibus ; bracteis late ovato-obtusis, versus medium truncatis glabrescentibus.

Hab. in collibus siccis *Corsicæ*, prope *Bastia*, loco dicto *le Fango* (O. Debeaux. *Plant. Cors. exsicc.* 1868).

Foliis latioribus quam in præcedente, sicut et magis patulis, habitu tandem rigidiores.

8. **Lavandula Debeauxii**, Gdgr.

Caulibus erectis, ramosis, rigidiusculis, laxe foliosis ; foliis remotis late lineari-oblongis, obtusiusculis, omnibus patulis dein subascendentibus ; spicis oblongis ; foliis inferioribus $\frac{1}{3}$ partem earum inferiorem æquantibus ; bracteis late ovato-ellipticis, versus medium triangularibus, omnino tomentosis.

Habitat in *ericetis Corsicæ* : Maquis à *Bastia* (O. Debeaux *pl. Cors. exc.* 1867).

Foliis quam in præcedentibus multo magis latioribus, appendice terminali spicarum roseo-violaceo.

9. **Lavandula olbiensis**, Gdgr.

Caulibus gracilibus, foliosis, oblique ascendentibus ; foliis dense fasciculatis, linearibus, apice subattenuatis, erectis ;

spicis oblongis; foliis inferioribus vix $\frac{1}{5}$ part. earum inferiorem superantibus; bracteis ovato-subtriangularibus, tomentosis.

Hab. in *Galliâ australi*, ad collem supra *Hyères* (Var); ex Magaud.

Tota gracilior ut et sequens quàm in tribus præcedentibus formis, foliis etiam brevioribus.

10. **Lavandula approximata**, Gdgr.

Caulibus erectis sat foliosis; foliis densissime condensatis sed interse remotiusculis, erecto-subpatulis; spicis breviter oblongis; foliis inferioribus dimidiam earum partem inferiorem æquantibus; bracteis ellipticis versus medium truncatis parce tomentosis.

Hab. in siccis *Gallie australis*. — *Hyères*, Var; (Magaud).

DECAS V.

1. **Rosa cordatifolia**, Gdgr.

Frutex 8-9 pedalis, aculeis parvis subrectis, ad ramos floriferos subnullis; foliolis late obovatis, haud lanceolatis, apice attenuatis, basi cordatis, præter costam mediam subtus interdum parcissime glandulosam, utrinque glaberrimis, simpliciter serratis; petiolis aculeatis, villosis, minute glandulosis; auriculis linearibus, divaricatis; pedunculis 1-3 nis hispidis; tubo calycis oblongo, lævi; sepalis..... stylis ultrà discum conicum in columnam glabram productis; petalis videntur albis; fructu glabro, obovato-oblongo, utrinque attenuato.

Habitat in *Gallie austro-occidentalis* sepibus. — Lot-et-Garonne à *Brax*, prope *Agen* (*O. Debeaux*).

Ex affinitate *R. prostratæ* D. C. *cat. hort. Monsp.* p. 138 et præsertim *R. affnioris* Gdgr. *Decad. plant. nov. dec.* II, n^o 7 et *R. leptostylæ* Gdgr. *loc. cit.* n^o 6.

2. **Daphne autaretica**, Gdgr. — *D. striata* Auct. gall. non Tratt.

Cortice semper griseo; foliis oblongis, apice rotundato-obtusis, haud aut vix mucronatis; bracteis late (3 mill.) ovatis, apice attenuato-acutiusculis; floribus 13 mill. longis, foliis semper brevioribus; corolla 8 mill. diam. lata; fructu ovato, apice sensim attenuato.

Hab. in alpibus *Delphinatus*: *Le Lautaret* (Clément! Chavanis! etc.)

Planta, ut et sequens, affinis *D. striatæ* Tratt. *Arch. gew.* I p. 120, sed diversa.

3. **Daphne helvetica**, Gdgr.

Cortice demum rubente aut fusco; foliis oblongis, apice rotundato-obtusis, evidenter mucronatis; bracteis latiuscule (2 1/2 mill.) obovato-oblongis, sensim acuto-sublanceolatis; floribus 12 mill. longis, quàm foliis floralibus superantibus vel saltem æquantibus; corolla 5 1/2 mill. diam. lata; fructu ovoideo, apice abrupte attenuato.

Hab. in alpinis *Helvetiæ*. — Canton des *Grisons*: *Val del Finn.* (Thomas. *Plant. exsicc.*).

4. **Polygonum Bourdini**, Gdgr.

Foliis radicalibus supra glabris, 34-37 mill. latis, 9-10 cent. longis; spicis sat angustis, 31-33 mill. longis; floribus pallide roseis; staminibus corollæ marginem vix superantibus.

Hab. in alpibus *Delphinatus*: *Le Lautaret.* (abb. Bourdin).

Cum *P. bistortâ* L. sp. 516 maximam habet affinitatem, ut fortasse nihil sit nisi forma peculiaris, haud tamen sejungenda.

5. **Rosmarinus platyphyllus**, Gdgr.

Ramis erectis, foliis late lineari-oblongis, apice obtusis, 5-5 1/2 mill. latis, omnibus patulis sat deflexis; calyce extus valde cinereo, sub indumento tamen saturate virente-subviolaceo; corolla majuscula, lilacino-subcærulea, lobo intermedio oblongo, apice integro, basi sensim contracto.

Hab. in *Galliâ australi*.

Flores subsessiles, præcoces. — Ex affinitate ut et quatuor sequentes *R. officinalis* L. sp. 33.

6. **Rosmarinus Verrieti**, Gdgr.

Ramis oblique ascendentibus; foliis anguste linearibus, 1 1/2 mill. latis, apice acutis, omnibus patulo-suberectis; calyce glabrescente, extus intense violaceo; corolla lilacina sat parva, lobo medio obovato-oblongo, apice emarginato, basi abrupte attenuato.

Hab. circa *Monspelum Galliæ australis*: *Montagne de la Gardiole* (Ch. Verriet-Litardière).

7. **Rosmarinus massiliensis**, Gdgr.

Ramis densissimis, oblique ascendentibus; foliis linearibus, 2-2 1/2 mill. latis, apice subrotundatis, semi-patulis; calyce pulverulento, extus virescente; corolla majuscula lobo medio lilacino ovato-elliptico, apice valde emarginato, basi abrupte contracto, margine crenulato.

Hab. in *Galliâ australi* prope *Massiliam*, loco dicto *Montredon* (Aunier).

8. **Rosmarinus Aunieri**, Gdgr.

Ramis densissimis, statim erectis nec obliquis; foliis linearibus, 2 mill. latis, obtusiusculis, exacte patulis; calyce subglabro, extus saturate virente; corolla majuscula, labio medio

pallide lilacino, obovato-oblongo, apice emarginato, basi sat abrupte attenuato, margine integriusculo.

Habitat cum præcedente (*Aunier*).

9. **Rosmarinus cyanocalyx**, Gdgr.

Ramis confertissimis, suboblique ascendentibus; foliis linearibus, 1 1/2-2 mill. latis, acutiusculis, omnibus patulis; calyce glabrescente, extus eximie cæruleo-violaceo; corolla majuscula, labio medio oblongo, amœne lilacino, apice integro, ad basim sensim et longe contracto, margine subundulato.

Hab. in *Galliâ australi*, prope *Massiliam*, loco dicto *Saint-Chamas* (*Castagne, Aunier*).

Illæ quinque species, interse sat distinctæ videntur, et cum subspeciebus Jordanianis (*Jord. Brev. pl. nov. I, p. 43-44*) haud sejungi possunt; formæ istæ Jordanicæ, propter foliorum formæ et calycis colorationis descriptionem inauditam, dubiæ remanent.

10. **Salix Ganderi**, Gdgr.

Ramis tortuosis, brevibus, denudatis, dichotomis, fusco-cinereis; foliis obovato-oblongis, apice dilatatis, rotundato-subretusis, basi rotundato-cordatis, rigidis, parce hirtellis, subintegerrimis, 18-21 mill. latis, 35-40 mill. longis; amentis coetaneis sparsis raris, omnino deflexis, 12-15 mill. longis 12-13 mill. latis; squamis rubentibus, oblongis, obtusiusculis.

Hab. in *Tyrolo* ad *Virgen* secus rivulos (*Gander*), 3600'.

Ad *S. caprear* L. sp. 1448. gregem pertinet, sed squamarum formâ, foliis utrinque obtusis, adultis glabrescentibus, amentis præsertim coetaneis nec præcocibus, diversissima.

DECAS VI.

1. **Sorbus platyodon**, Gdgr.

Foliis obovato-oblongis, apice sensim attenuatis dein obtusis, basi ad petiolum abrupte attenuatis, 47-51, mill. latis, omnibus lobulatis, subtus pallide niveis; serraturis majusculis, submucronatis; fructu ovato utrinque rotundato, 11-12 mill. diam. lato.

Habitat in *Europâ centrali*.

In horto Lugdunensi Galliæ colitur, sub nomine *S. quercifoliæ*, sed improprie. — Ad gregem *S. ariæ* Crantz *Stirp. austr. fasc. II*, p. 46, ut et quatuor sequentes, adnumerari debet.

2, **Sorbus controversa**, Gdgr.

Foliis obovato-oblongis, apice sensim attenuatis dein acutiusculis, basi abrupte attenuatis, 37-41 mill. latis, subtus albis, vix lobulatis; serraturis magnis, breviter triangularibus; fructu ovato, utrinque rotundato, 10-11 mill. diam. lato.

Hab. in *Europæ centralis* silvis nemoribusque.

Colitur in horto Lugdunensi Galliæ, errore singulari, sub nomine *Cratægi longifoliæ*; sed *Cratægus longifolia* Duham. *Ed. nov. IV*, t. 34, *Pyrus aria & acutifolia* D. C. *Prodr. II*, p. 636, ab hac est diversissima, ut videtur. — Folia subtus magis albicantia, quam in præcedente vix quoque lobulata.

3. **Sorbus alnoides**, Gdgr.

Foliis late suboblongo-rhomboidalibus, supra atrovirentibus, apice breviter attenuatis, basi sat abrupte contractis, 55-60 mill.

latis, lobis subnullis vix perspicuis; serraturis ovato-cuspidatis; fructu ovato, utrinque rotundato, $9\frac{1}{2}$ - $10\frac{1}{2}$ mill. diam. lato.

Habitat in *Europâ mediâ*.

In horto Lugdunensi Galliæ colitur, sub nomine *S. aria* var. *edulis* Hort. — Folia ampla albicantia eis *Alni glutinosæ* æmulantia.

4. **Sorbus Reverchoni**, Gdgr.

Foliis obovato-oblongis, vel suboblongis utrinque, attenuatis apice acuminatis, 43-48 latis, planis, lobulatis; serraturis lanceolato-triangularibus; fructu ovoideo, utrinque depresso vel subattenuato, $7\frac{1}{2}$ - $8\frac{1}{2}$ mill. diam. lato.

Habitat in alpibus *Delphinatus*: *Le Monestier* prope *Briançon* (Reverchon).

5. **Sorbus arvernensis**, Gdgr.

Foliis obovatis, apice sensim subattenuato-rotundatis, basi vix contractis, planis, 65-78 mill. latis, parum lobulatis; dentibus triangularibus; fructu magno, obovato-subturbinato, apice dilatato-rotundo, basi attenuato, 11-12 mill. diam. lato.

Habitat in *Arverniâ Galliæ*: *Le Cantal* (*frère Boileau*).

6. **Rosa phalacropoda**, Gdgr.

Reptans, gracilis, ramis numerosis, elongatis; aculeis parvis inclinatis; foliolis obovatis, utrinque subrotundatis, basi tamen truncatis, adultis supra glabris, subtus ad nervos hirtellis, simpliciter serratis; petiolis villosoglandulosis, parce aculeatis, pedunculis levibus; tubo glabro-obovato; sepalis brevibus, ovatis, subindivisis, parcissime glandulosis, apice in acumen filiforme productis; stylis ultra discum conicum in columnam elongatam, glabram coalitis; petalis albis; fructu obovato glabro.

Hab. in dumetis *Gallicæ austro-orientalis*. — *Isère*: prope pagum dictum *Charancieu*.

E tribu *Synstylearum* D. C. cat. hort. Monsp. p. 137, affinis *R. arvensis* L. mant. 240, pedunculis glabris præter notas supra allatas, ab eâ præsertim differt fructu obovato nec subgloboso.

7. **Rosa commiserata**, Gdgr.

Ramosissima, repens vel decumbens; aculeis raris, rectiusculis; foliis late ovato-ellipticis, basi rotundatis, apice vix attenuatis, præter costam subtus hirtellam utrinque glaberrimis; serraturis simplicibus, ovatis; petiolis aculeatis, pubescentibus parcissime glandulosis; pedunculis hispidis; tubo-obovato glabro; sepalis ovatis subpinnatis, apice filiformibus; stylis ultra discum planum in columnam glaberrimam productis; petalis albis haud ciliatis; fructu ovoideo basi attenuato.

Habitat in *Galliâ boreali-occidentali*. — *Calvados*: *Arganchy* (Dr. E. Lebel).

Affinis *R. repentis* Scop. fl. Carn. I, p. 355 (1772) e tribu *Synstylearum*.

8. **Crepis Royi**, Gdgr.

Caulibus intricatissimis, numerosis, 12-15 cent. longis intense purpurascens; foliis obovato-oblongis, acutis, creberrime dentatis, subtus præsertim villosis; involucri usque ad $\frac{3}{4}$ sup. pilis glanduliferis obsito.

Habitat in alpibus *Delphinatus*. — *Isère*, *Piemeyan* (J. Roy).

E grege *C. pygmeæ* L. sp. 1131, ut et duæ sequentes.

9. **Crepis autaretica**, Gdgr.

Caulibus sat numerosis, 9-12 cent. longis, virentibus; foliis ovatis, obtusiusculis, vix dentatis, subtus tomentosus; involucri eglanduloso.

Habitat in alpibus *Delphinatus* : *Le Galibier* au *Lautaret* (*Chabert*).

10. ***Crepis subglabrescens***, Gdgr.

Caulibus sat ramosis, 6-10 cent. longis, aliis virentibus aliis pallide purpureis ; foliis obovatis, apice sat attenuatis, dentatis utrinque subglabrescentibus ; involucro basi tantum parcissime glanduloso.

Habitat in alpestribus *Pyrenæorum* centralium : *Cirque de Gavarnie* (*Bordère*).

Foliis minoribus, subtus interdum subrubentibus, anthodiis paulo minoribus quam in duabus præcedentibus.

DECAS VII.

1. ***Rosa Brippii***, Gdgr. — *R. arvensis* var. *scabrâ* Baker. *Ros. Brit. exsicc.*

Aculeis numerosis aduncis, foliolis coriaceis, rigidis, nervosis late obovato-acutis, basi rotundatis, præter costam subtus glanduloso-subglaberrimam utrinquo lævibus, simpliciter serratis ; petiolis aculeatis, minute hirtellis, valde glanduloso-muricatis ; stipulis dorso glandulosis ; pedunculis hispidis ; tubo lævi, obovato-oblongo ; sepalis.... ; stylis ultra discum conicum in columnam glabram coalitis ; petalis..... ; fructu parvo, obovato, apice constricto.

Hab. in *Anglia*, in regione dicta : *the Devonshire* (*Bripp*).

Prope *R. reptentem* Scop. *fl. Carn.* I, p. 355, collocari debet, a qua eximie differt foliolorum forma, petiolorum glandulositate, etc.

2. **Rosa megalochlamys** Gdgr.

Ramis rubentibus; aculeis albidis sæpe validis, a basi dilatata latissima rectis, sparsis, geminatis aut verticillatis; foliis obovato-acutis, basi attenuatis, supra glabris, præter costam subtus glandulosam ad nervos pilosis, simpliciter serratis; petiolis glanduloso-villosis, parce aculeatis; stipulis dilatatis, magnis; auriculis latis, divergentibus; pedunculis 1-3 dense hispidis; tubo oblongo, glabro; sepalis glabris, eglandulosis, post anthesim erecto-conniventibus, persistentibus, apice in acumen dilatatum longissimum productis; stylis liberis lanatis, disco plano; petalis roseis; fructu obovato-oblongo, apice attenuato-rostellato.

Hab. in alpinis *Sabaudiae*: *Mont Nivolet* prope *Chambéry* (Songeon).

Affinis *R. involutatae* Smith, *flor. brit.* III, p. 1398, e tribu *sabinearum* Crép. *Prim. mon. ros.* p. 13, sub nomine *R. sabaudæ* olim.

Hanc speciem accepi, sed *R. sabauda* Rapin in *Bull. soc. Haller.* p. 175, a nostra *R. megalochlamyde* præsertim foliis utrinque glabris recedit.

3. **Centaurea littorea**, Gdgr.

Tota villosa-aspera, haud floccosa, foliis caulinis superioribus oblongis, inciso-lyratis nec pinnatisectis, lobis integris; squamarum involucri spinis 2-2 1/2 mill. longis.

Hab. in littoribus *Gallicæ australis*. — *Cannes*, Var.

Cum *C. sphærocephala* L. *Sp.* 1295, notis quibusdam exceptis, sola habet affinitatem.

4. **Centaurea corsica**, Gdgr.

Canescens villosa-floccosa; caulibus subdiffusis, patulo-ascendentibus; foliis omnibus lyratis, pinnatisectis, inciso-den-

tatis, lobis acute dentatis; involucri spinis squamarum 4-6 mill. longis.

Hab. in *Corsicæ* sabulosis littoribus, prope *Bastia* (O. Debeaux, 1866).

Hæc species, ut et sequens, medium tenet locum, inter *C. sphaerocephalam* et *C. Fontanesii* Spach, sed magis huic affines.

5. **Centaurea Chouletti**, Gdgr. — *C. Fontanesii* Choulette in *Fragm. fl. Alger. exsicc.* 2^e série, n^o 441, non Spach.

Villoso-hirsuta, haud floccosa; caulibus erectis rigidis; foliis omnibus lyrato-incisis, lobis parum dentatis; serraturis brevibus; spinis involucri squamarum 5 1/2-7 mill. longis.

Hab. in *Algeria*, ad incultos, prope *Philippeville* (Choulette).

6. **Hieracium tephrochlamys**, Gdgr.

Foliis apice in acumen rectum productis, dentibus ovatis sinuatis, rectis, patulis, abrupte mucronatis; involucrio canescente; squamis omnibus pulverulentis.

Hab. in nemoribus *Hungariæ*. (Herb. P. Chabert).

Ad *H. ramosum* W. et Kit. *Hung. rar.* III, p. 240, sicut et sequens, pertinet.

7. **Hieracium harpago**, Gdgr.

Foliis apice in acumen tortum productis, dentibus lanceolato-acuminatis, valde mucronatis, subcontortis, erectis; involucrio virescente; squamis omnibus glabris.

Hab. in nemoribus *Hungariæ*: (ex. herb. Sieber, comm. a cl. H. van Heurk).

8. **Salix cardiophyllos** Gdgr. — *Salix phylicifolia* var. *cordata* Seringe, *Rev. sal. exsicc.* (1824), n. 10; — *S. stylaris-cordifolia* Ser. *Salic. exsicc.* n. 88 (1814); — *Ejus. Ess.* p. 68 (1815); — *S. stylosa-cordifolia* D. C. *Fl. fr.* v, p. 340, (1815).

Ramis apice puberulis; foliis coriaceis, rigidis, nervosis, glabris, rotundatis orbiculatisve, basi valde emarginato-cordatis, apice abrupte brevissimeque acutis, glaucescentibus, ad nervos subtus aurantiaceis; serraturis brevibus, margine revoluta-undulatis, limbo contiguis, apice glandula terminali obsitis; amentis 15-16 mill. longis, 10 mill. latis, arcuato-deflexis, raris, remotis; capsulis glabris, 5 mill. longis (cum stylo).

Hab. in *Helvetia* (Seringe, *loc. cit!*)

Species dessicatione non nigricans, de grege *S. stylosi* D. C. fl. fr. V, p. 340, sicut et duæ sequentes. Folia sterilia rotundato-orbiculata, floralia eis *Populi tremulæ* simillima.

9. **Salix Chavanisii** Gdgr.

Ramis floriferis apice lanatis; foliolis tenuibus, glabris, ovato-rotundatis, utrinque obtusissimis, apice sæpe subemarginatis, glaucescentibus, ad nervos minutos virentibus; serraturis obtusis, eglandulosis, inæqualibus, margine subrevolutis; amentis (floriferis) 14-15 mill. longis, 8-11 mil. latis, aliis patulis, aliis vero arcuato-deflexis, aliis tandem erectis; capsulis glabris, 2 mill. longis; stylo sat brevi.

Hab. in *Delphinatu*, secus ripas fluvii *Isère*, loco dicto : *à l'Esplanade de Grenoble* (Chavanis).

Ut videtur, hæc species dessicatione nigricans, a præcedente diversissima est. Folia sterilia obovata, subacuminata, floralia autem eis *Amelanchieris vulgaris* æmulantia; amenta post anthesim elongata ac deflexa.

10. **Salix pseudo-pyrus** Gdgr.

Ramis floriferis apice hirsutis; foliis tenuibus, glabris, ovato-ellipticis, basi cordatis, apice rotundatis, ad nervos minutissimos subtus albicantibus; serraturis æqualibus, planis, eglandulosis, brevibus; amentis sub anthesi 28-31 mill. longis, 9-10 mill. latis, patulis, quibusdam interdum erectiusculis; capsulis glabris, cum stylo 6 mill. longis, tenuibus.

Hab. in *Sabaudia*, secus rivulos, ad *Pringy*, prope *Annecy* (Puget).

Species curiosa, dessicatione valde nigrans. Folia sterilia elliptico-obtusa, floralia vero eas *Pyri communis* exactissime referentia; amenta post anthesim patula, haud tamen elongata. Amicissimus abb. Puget pulcherrimam hanc formam, ad amicos olim, sub nomine *S. aquaticæ* Smith misit.

Tres præcedentes species interse typo diversissimas efformare videntur; ad gregem *S. stylosæ* D. C., ut jam monui, spectant. Illa autem *S. stylosa* D. C. magis ad *S. nigricantem* Smith quam ad *S. phylicifoliam* L. accedit. Quamvis *S. Chavanisii* et *S. pseudo-pyrus* nostræ dessicatione nigrescentes, ideoque melius *S. nigricanti* adnumerandæ, tamen, meo sensu et si non fallatur mens, *S. stylosæ* certius spectant.

DECAS VIII.

1. **Amelanchier mucronata** Gdgr.

Foliis obovatis, apice attenuato-subacutis, mucronatis; dentibus ovatis, convergentibus; petalis margine ciliatis, extus pubescentibus.

Hab. in dumetis circa *Monspelim*, loco dicto *Pic Saint-Loup* (Michel).

Ex affinitate, ut et quatuor sequentes, *A. vulgari* Moench.
— Folia sub anthesi vix evoluta, valde lanata.

2. Amelanchier vallis-clausæ Gdgr.

Foliis oblongis, basi late cordatis, apice acutiusculis; dentibus ovatis, apertis, haud patentibus; petalis.....

Hab. in *Gallia australi*: Fontaine de Vaucluse (Aunier).

Folia sub anthesi evoluta, subglabrescentia, apice omnia sicut et in præcedente evidenter acuta, mucronata, nec obtusa vel rotundato-emarginata, quod existit in tribus sequentibus.

3. Amelanchier Aunieri Gdgr.

Foliis parvis, obovato-oblongis, utrinque rotundato-cordatis, plus minus acutiusculis; dentibus minutissimis, limbo contiguus, rotundatis, cuspidatis; petalis.....; corymbis multifloris, numerosis.

Hab. in silvis *Delphinatus* (Aunier).

4. Amelanchier vapincis Gdgr.

Foliis obovato-oblongis, apice attenuato-obtusis, basi dilatatis, emarginatis; dentibus parvis, rotundatis, brevissimis, limbo contiguus; petalis.....; corymbis raris, paucifloris.

Hab. in *Delphinatus* alpibus: Forêt de *Rabou*, prope *Gap* (Aunier).

Petala hujus speciei, ut et ea præcedentis, mihi ignota.

5. Amelanchier fallens Gdgr.

Foliis obovatis, utrinque rotundato-obtusis, basi tantum emarginatis; dentibus obovatis, apertis, cuspidatis, profundio-

ribus; petalis.....; floribus rarissimis, geminatis, ternatisve.

Hab. in *Arvenia* : *Mont-Dore* (Malarbet).

Ob specimina sæpissime incompleta, in herbariis visa aut in collectione nostra asservata, fere omnes species hujus generis quæ supra descripsimus ulterius investiganda sunt.

6. **Rosa calcarea** Gdgr.

Frutex 3-5 pedalis, altus, aculeis a basi dilatata compressa que rectiusculis, ad ramos floriferos dense confertis; foliolis parvis, rigidis, 9-11 mill. latis, elliptico-acutis, basi attenuatis, præter costam subtus glandulosam utrinque glaberrimis; serraturis subduplicatis, acutis, convergentibus; petiolis glandulosis, sparsim pilosis, valde aculeatis, stipulis rubentibus; pedunculis 1-2 nis, glaberrimis, 6-10 mill. longis; calycis tubo glabro, breviter obovato; sepalis pinnatis, eglandulosis, pinnulis angustioribus, subintegerrimis; stylis glabris, liberis, disco subplano; petalis.....; fructu parvo, 8-10 mill. diam. lato, ovato, basi rotundato, apice breviter attenuato.

Hab. in *Pyrenæis orientalibus* : in Monte *Saint-Martin* prope *Camélas*; in collibus calcareis circa *Prades*, 1,000, 1,200, alt. (*O. Debeaux*, 1872).

Var. *B. robustior* Gdgr — Præcedente robustior, foliolis latioribus, 13-16 mill. latis, petiolis minus aculeatis, fructu crassiori, 10-13 mill. diam. lato.

Hab. cum typo mixta (*O. Debeaux*).

Affinis *R. nudæ* Woods, in *Trans. of Linn. soc.* XII n^o 13.

7. **Rosa geracantha** Gdgr.

Ramis tenuibus, flexuosis, gracilibus, basi denudatis; aculeis subdilatatis, vix incurvis, mox caducis, ad ramos floriferos evanidis; foliolis obovato-acutis, basi subrotundatis, glaberrimis; serraturis subsimplicibus, patentibus; petiolis glandulosis sparsim minuteque hirtellis, superioribus aculeatis;

stipulis virentibus, latioribus; pedunculis glabris, 1-2-nis, 6-10 mill. longis; tubo glabro, oblongo; sepalis post anthesim deflexis, pinnatis, pinnulis angustioribus, margine 2-4 dentibus glandulosis auctis; stylis lanatis; disco subplano; petalis.....; fructu oblongo, apice constricto, sanguineo.

Hab. in *Helvetia*: *Oberhalb, Altorf*, canton d'Uri (Gisler).

E tribu *Caninearum*, ad *R. armatam* Her. ex Bess. *Enum. pl. Podol. et Volh.* p. 62 accedit, sed multo minus aculeata; petioli glandulosi, etc. Affinis etiam *R. adscitæ* Déségl. in *Billotia* I, p. 34; Ejusd. *Herb. Rosar. fasc. 11*, n° 50, sed præter totum habitum, rami floriferi inermes nec aculeati.

8. *Rosa polyodon* Gdgr.

Frutex condensatus, ramosissimus; ramis laxis, arcuatis; aculeis raris, a basi dilatata compressa aduncis, ad ramos floriferos nullis; foliolis angustis, obovato-oblongis, acutis, basi valde attenuatis, præter costam mediam subtus glandulosam, utrinque glaberrimis; serraturis creberrime composito-glandulosis, apertis, acutis; petiolis glandulosis, parce aculeatis, basi hirtellis; stipulis elongatis; pedunculis 2-4 nis glabris, 9-10 mill. longis; tubo obovato, glabro; sepalis deciduis, pinnatis, glabris, margine 1-3 dentato-glandulosis; stylis parvis, liberis, glabris, disco valde conico; petalis majusculis, pallide roseis, margine haud ciliatis; fructu ovato-rotundato, subglobosove, coccineo.

Hab. in sepibus *Galliæ centralis*, ad *Arnas* (Rhône), loco dicto à la *Barmondrière*.

Cum *R. Carioti* Chabert, in *Cariot Etud. des fl.*, 4^o ed. 11, p. 677 non nisi comparari potest, cujus tamen, longissime recedit sepalis haud aut vix margine pectinato-glandulosis, petalis carneis, fructu subgloboso etc.. Pertinet etiam ad tribus *Caninearum*.

9. **Salix Liebmanni** Gdgr.

Foliis obovatis, sensim utrinque rotundato-attenuatis, basi valde abrupte contractis, integris, margine revolutis, adultis supra glabris subtus autem pubescentibus, 12 mill. latis, 17-19 mill. longis; pedunculis valde cinereo-pulverulentis; amentis brevibus villosis; capsulis roseis, hirsutis.

Hab. in alpibus *Dovreusibus Norwegiæ* (Liebmann).

Ad gregem *S. reticulatæ* L. var. B. D. C. fl. fr. III, p. 289, ut et sequens, pertinet.

10. **Salix myrioblephara** Gdgr. — *S. reticulata* et *villosa* Seringe. *Rev. sal. exsicc. ined.* (1824) n. 26.

Foliis obovato-oblongis vel fere oblongo-subrombœis, apice obtusato-subemarginatis, basi sat attenuatis, adultis supra pubescentibus, subtus valde incano-lanatis, integris, margine haud revolutis, 18-20 mill. latis; 27-31 mill. longis, saturate virentibus; amentis villosis, elongatis, laxiusculis; pedunculis hirsutis; capsulis tomentellis, violaceis.

Hab. in alpibus *Sabaudiaë*, loco dicto: *Col de Balme* (Seringe).

A præcedente, foliis lanatis, majoribus, pedunculis villosis nec cinereis, etc., conspicue diversa.

DECAS IX.

1. **Rosa Naias** Gdgr.

Ramis tenuibus, elongatis; aculeis longiusculis, vix dilatato-falcatis; foliolis oblongo-lanceolatis, acuminatis, basi breviter attenuatis, præter costam subtus parcissime glandulosam gla-

berrimis; serraturis duplicatis, patentibus; petiolis aculeatis, glandulosis, parcissime hirtellis; stipulis angustissimis; pedunculis 1-2-nis, glabris, 6-7 mill. longis; tubo glabro ovoideo; sepalis pinnatis, eglandulosis deciduis.....; stylis glabris, raris; disco subconico; petalis.....; fructu ovoideo, sanguineo.

Hab. in *Pyrenæis orientalibus*, secus ripas fluvii *la Tet*, ad *Saint-Estève* prope Perpignan, inter arundines gramina que aquatica, ubi detexit *O. Debeaux*, anno 1872.

Prope nostram *R. polyodon* Gdgr. *Dec*, VIII, n° 8, collocari debet, de tribu *Caninearum-Biserratarum*.

2. *Rosa calyptocalyx* Gdgr.

Ramis numerosis, condensatis, erectis, basi denudatis, apice valde foliosis; acutis sparsis, a basi compressa ac dilatata apice falcatis, ad ramos floriferos evanidis; foliolis late obovato-oblongis, breviter acutis, basi rotundatis, glaberri-
mis, ad costam subtus glandulosis, duplicato-serratis; petiolis glandulosis, sparse pilosis, subaculeatis; stipulis rubentibus, dilatatis, elongatis; pedunculis 1-3-nis, glabris, 2-5 mill. longis; bracteis purpurascentibus, amplissimis ut et calyce omnino involutis; tubo obovato-oblongo; sepalis pinnatis, apice subfoliaceis, pinnulis latioribus, margine 1-3 dentato-glandulosis; stylis hirtellis disco subconico, petalis roseis margine conspicue ciliatis; fructu ovoideo, coccineo.

Hab. in *Arvenia Gallie*: — *Puy-de-Dôme* à Pionsat (M. Dubosclard).

Cum *R. venosa* Swartz ex Spreng. *Syst. veg.* II, p. 544, sat habet affinitatem, sed foliola basi rotundata nec attenuata; e tribu *Caninearum*.

3. Rosa indifferens Gdgr.

Frutex 4-5 pedalis, aculeis mediocribus, aduncis, dilatatis ad ramos floriferos, plus minusve numerosis; foliis rigidis, nervosis, late ovato-cordatis, abrupte acutis, supra lucidis, saturateque viridibus, præter costam subtus glandulosam utrinque glaberrimis; serraturis duplicatis acutis, patulis; petiolis aculeatis, glandulosis, parcissime hirtellis; stipulis brevioribus; pedunculis 1-3-nis, glabris, 8-10 mill. longis; tubo ovoideo glabro; sepalis deciduis, eglandulosis.....; stylis hirtellis; disco conico; petalis.....; fructu breviter ovoideo, rubro.

Hab. in *Pyrenæis orientalibus*, ad pagum dictum *Amélieles-Bains* (*O. Debeaux*, 1872).

Affinis præcedentis, sed ramis floriferis aculeatis.

4. Rosa apostigma Gdgr.

Ramis virgatis, condensatis, validis; aculeis longissimis, maximis, dilatatis, subaduncis, ad ramos floriferos glaucos sat confertis; foliis amplissime oblongo-lanceolatis, acuminatis, basi attenuatis, præter costam subtus glandulosam utrinque glaberrimis; petiolis glandulosis, aculeatis, sparsim pilosis; stipulis dilatatis, subrubentibus; pedunculis 1-3-nis, parcissime glandulosis, 12-16 mill. longis; tubo glabro, ovoideo; sepalis pinnatis, eglandulosis, deciduis.....; stylis lanatis; disco subplano; petalis.....; fructu obovato, utrinque depresso, coccineo.

Habitat in sepibus *Galliæ australis*. — *Lot-et-Garonne*: *Bruac* prope *Agen*, ubi detexit amiciss. *O. Debeaux* 1873.

De tribu *Caninearum* affinis, sicut et species sequens *R. lanceolata* Opiz in *Bot. Zeit.* 1822, p. 268, sed præter fructum obovatum nec ovoideum, ab ea præsertim dif-

fert, foliolis majoribus, stylis in capitulum amplius majusque coalitis, etc.

5. **Rosa obtusispina** Gdgr.

Præcedenti similis, sed ab ea recedit: 1° foliolis minoribus; 2° aculeis brevissimis, truncatis, obtusis haud aut vix pungentibus; 3° petiolis subinermibus; 4° pedunculis brevioribus, 7-10 mill. longis; 5° fructu minore, evidenter utrinque depresso.

Hab. in sepibus *Gallicæ australis*. — Lot-et-Garonne: *Moirax* prope *Agen*, a cl. *O. Debeaux*, anno 1873 inventa.

6. **Crepis Perrieri** Gdgr. — *C. grandiflora* Perrier in *Billot exs.* n. 3431, *ex parte*, non Tausch!

Foliis oblongis, glabrescentibus, apice in acumen breve acutum productis, ex toto valde dentatis, haud runcinatis; pedunculis vix vel brevissime glandulosis, apice valde incrassatis, 3 mill. latis; involucro 13-14 mill. lato, radiis pallide luteis.

Hab. in pratis alpestribus *Sabaudia*, ad *Colombaz* prope *Hauteluce*, 4,700' (*E. Perrier*).

Ex affinitate *C. grandifloræ* Tausch. in *Flora* XI, 1, p. 80, ut et sequens. In collectione Billotiana sub eodem numero, aliam vidimus speciem novam, ulterius examinandam.

7. **Crepis amphiscœna** Gdgr.

Foliis oblongis sat pubescentibus, apice sensim rotundato-subobtusis, integrisque, sed a basi usque ad $\frac{3}{4}$ partem super. dentatis, haud runcinatis; pedunculis valde longissimeque glandulosis, sat incrassatis, 2-2 $\frac{1}{2}$ mill. latis; involucro 9-11 $\frac{1}{2}$ mill. lato, radiis intense luteis.

Hab. in alpestribus *Pyrenæorum centralium*, ad *Somâoute* (Bordère).

Pedunculi breviores, minus incrassati; folia magis villosa; caulis tandem elatior quam in *C. Perrieri* nostra.

8. **Lavandula Guinandi** Gdgr.

Caule valde elato, apice ramoso; ramis subpatulis, lateralibus medio multo brevioribus, apice flexuosis; foliis radicalibus oblongis, obtusiusculis, basi attenuatis, conspicue canescentibus, 5 $\frac{1}{2}$ -6 mill. latis, margine revolutis, caulinis autem lineari-oblongis, virescenti-subalbidis; spicis oblongis, haud interruptis, densiusculis; calyce pulverulento, bracteis partem calycis superiorem æquantibus.

Hab. in siccis *Pyrenæorum orientalium*: au bas d'*Ambouilla* (abb. Guinard), ubi frequens.

Pertinet, sicut et duæ sequentes, ad *L. latifoliam* Vill. fl. *Dauph.* II, p. 363.

9. **Lavandula decipiens** Gdgr.

Caule sat elato, apice parce ramoso; ramis lateralibus medio subbrevioribus, subflexuosis; foliis omnibus incanis, albis, oblongo-acutis, basi valde attenuatis, 4-4 $\frac{1}{2}$ mill. latis, margine revolutis; spicis obovatis, paucifloris, densis; calyce pulverulento, bracteis dimidiam inferiorem tubi partem æquantibus.

Hab. in *Gallia australi*: *Ile Sainte-Lucie* prope *Narbonam*, Aude, (Moquin-Tandon).

Præcedente paulo flexuosa, humilior, magis canescens.

10. **Lavandula cladophora** Gdgr.

Caule rigido, valde elato, apice ramoso; ramis flexuoso-arcuatis, ramorum angulis rubentibus; foliis oblongis, erectis, basi valde attenuatis, apice triangularibus, 3-4 mill. latis,

marginē haud aut vix revolutis, minute pulverulentis; spicis oblongis, valde flexuosis, densiusculis; calyce valde albo-farinoso, dentibus minutis, obtusis, bracteis partem tubi superiorem subæquantibus; corolla pallide cærulea, extus villosissima.

Hab. in rupestribus *Pyrenæorum Orientalium* prope *Amélie-les-Bains*, in monte dicto *Mondony*, inter 1200' et 1500' (*O. Debeaux*, *Plant. Pyr.-Or. exsicc.* 1872!).

A præcedentibus, habitu valde elato flexuoso, foliis marginē vix revolutis, caulium angulis rubescentibus nec albidis, distincta.

Tres præcedentes, quas novas putamus, a speciebus Jordanianis in *Brev. Plant. nov.* II. p. 88, plane diversæ sunt.

DECAS X.

1. *Salix melachroa* Gdgr.

Foliis obovato-oblongis, utrinque sensim attenuatis, minute denticulatis, 12-13 mill. latis, 23-26 mill. longis, subtus plus minus hirtellis; amentis 15-18 mill. longis, patulis, dein arcuato-deflexis; capsulis tomentosis; squamis bruneis, apice attenuatis; stylis apice divergentibus.

Hab. in montibus *Helvetiæ*, (*Herb. P. Chabert*).

Affinis, ut et sequens, *S. nigricantis* Smith in *Trans. of Linn. soc.* VI, p. 120. Folia eis *Pruni spinosæ* simillima.

2. *Salix populoides* Gdgr. — *S nigricans* Horti Lugdun. Gall. 1866-72, non Smith.

Ramis validis, virentibus, ramorum steriliū foliis amplissime ovato-ellipticis, apice attenuato-triangularibus, basi dilatatis, valde cordato-emarginatis, adultis subglaberrimis,

60-65 mill. latis, 68-72 mill. longis, inæque lobulato-denticulatis; amentis erectis, 21-25 mill. longis; capsulis tomentellis; squamis fuscis, breviter acutis.

Hab. in alpibus *Delphinatus*.

Curiosissimæ hujus speciei folia eis *Populi canadensis* Michx. æmulantia, vere ad *S. nigricantem* pertinet, quamvis primo intuitu abnormem esse videtur.

3. **Crupina etrusca** Gdgr. *C. Morisii* Savi, in *Billot Flor. exsicc. Gall. n° 3424* non Boreau.

Caulibus parce ramosis, inferne subglaberrimis; foliis patulis, glabrescentibus; capitulis fasciculatis; involuero anguste oblongo; squamis apice purpurascens; akeniis fusco-nigricantibus, pappo triplo brevioribus.

Hab. in *Etruria*, ad petrosos calcareos montis dicti *Monte-Pisano* prope *Aguano* (P. Savi, *loc. cit.*)

De grege, ut et duæ sequentes *C. Morisii* Bor. *fl. du Centre*, Ed. 2, p. 292.

4. **Crupina insularis** Gdgr.

Caule elato, valde ramoso, inferne villosa; foliis subpatulo-erectis, inferioribus medio lanatis; capitulis numerosis, fasciculatis; involucri angustissime oblongi foliolis apice rubentibus; akeniis intense nigris, pappo triplo $\frac{1}{2}$ brevioribus.

Hab. in collibus micachistosis insulæ *corsicæ* prope *Bastia*, loco dicto *au Fango*, ubi invenit *O. Debeaux*, annis 1867-1869.

5. **Crupina villosa** Gdgr.

Caule valde elato, ramosissimo, inferne sublanato; foliis erectis, inferioribus caulinisque mediis plus minus floccosis; capitulis numerosis, solitariis; involucri late obovato-oblongi

foliolis extus omnino rubentibus; akeniis conspicue nigricantibus, pappo triplo $\frac{1}{2}$ brevioribus.

Hab. in incultis petrosis insulæ *Corsicæ* prope *Bastia*, loco dicto *Cardo*, (*O. Debeaux Plant. Cors. exsicc.* 1867-69!).

6. **Cirsium bactiacense** Gdgr.

Caule sat elato simplici, subhirtello, haud floccoso, apice 1-2 floro; foliorum segmentis late obovato-oblongis, valde incisis, parce spinosis; capitulis glabris, erectis, ochroleucis; squamorum spinis elongatis, patulis.

Hab. in alpibus *Helvetiæ*, supra *Bex*, canton de Vaud, (*J. L. Thomas, Plant. helv. exsicc.*)

Prope *C. rigens* Wallr. *Sched.* p. 446, ut et duæ species infra descriptæ, collocandum.

7. **Cirsium haberianum** Gdgr.

Caule valido, elato (7-9 decim.), medio ramoso; ramis elongatis, erectis, 2-3 floris, subaraneosis, nec floccosis; segmentis foliorum amplissime oblongis, incisis, sat spinosis; capitulis araneosis, porrecto-subnutantibus, ochroleucis; squamarum spinis brevibus, vix patulis.

Hab. in *Sabaudia alta*, secus vias, ad *Habères-Poche* (abb. Puget).

8. **Cirsium longirameum** Gdgr.

Caule elato, parce araneoso, apice ramoso; ramis longissimis, erectis, 1-2 floris; foliorum segmentis anguste oblongo-lanceolatis, acuminatis, parce inciso-spinosis; pedunculis apice versus capitulos minute glandulosis; capitulis glabris; spinis squamarum brevibus, patulo-erectis.

Hab. in alpibus *Delphinatus*: *Le Lautaret* (abb. Bourdin).

9. **Rosa cedrorum** Gdgr.

Differt a *R. Serafini* Viviani, 1° foliolis latioribus (8 mill.), ovatis, vel breviter ellipticis; 2° stipulis majoribus, ad auriculas parce glandulosis; 3° sepalis apice spathulatis nec linearibus; 4° fructu globoso.

Hab. in silvis cedrorum *Algeriæ*, ad montes *Djurdjuræ*, 6,900', in cacumine montis *Lella Kredidja* (O. Debeaux, *Plant. Alg. exs.* Juillet 1858!)

10. **Rosa djurdjurenensis** O. Debeaux, mss. in litt. et in *Herb.* (1859).

Fruticulus, humilis, 1-2 dec. altus, odorem resinoso-terebinthinaceam conspicue redolens; ramis brevibus, tortuosis; aculeis copiosis, aduncis, dilatatis, interdum inclinatis, junioribus rubentibus; foliolis ovato-rotundatis, obtusis, orbiculatis vel breviter ellipticis, 6-7 mill. latis, glabris, supra glaucescentibus, valde glandulosis, subtus pallidioribus, glandulosis; petiolis aculeatis, glandulosis, minutissime tomentosus; stipulis dilatatis, brevibus, dorso-glandulosis; pedunculis nullis, vel 1-3 mill. longis, glabris, solitariis; tubo glabro obovato; sepalis brevibus, dorso ut et margine glandulosis, anguste pinnatis, deciduis, apice subdilatatis; stylis lanatis, liberis; disco plano; petalis parvis, intense roseis; fructu ovato, apice subattenuato, rubro.

Crescit in Cedrorum *Algeriæ* silvis *Djurdjurenensibus*, inter 6,500-7,000', in cacumine montis dicti *Lella-Kredidja*, et in collo *Chellata*, in adsensu montis *Tamgouth*, (O. Debeaux *Plant Alger. exsicc.* — 8 juillet 1858!)

Affinis *R. Serafini* Viv. *add. fl. Ital. fragm. in fl. Lyb.* p. 67. cujus specimina authentica examinare potui; ab ea differt, foliolis superne glandulosis, fructu tuboque calycis ovatis, pedunculis brevioribus, sepalis dorso glandulosis, etc.

DECAS XI.

1. **Cephalaria decipiens** Gdgr.

Pilosiuscula, 5-7 pedalis, caulibus erectis, polychotomis, glabris, utrinque minute pubescentibus, anguste decurrentibus; pedunculis glaberrimis vel raro apice subpilosulis, pilis sparsis; involucri squamis late ovalibus, exterioribus subobtusis, pilosulis, bruneis; corollulis radiantibus, pallide luteis ochroleucisve.

Hab. in nemoribus alpinis *Caucasi orientalis*.

Prope *C. elatam* Horn. collocanda: etiam cum *C. tatarica* Schrad. affinitatem habet, si spectes tab. CCCII, *Icon. crit.* tom. IV *Reichenbachii*. — Floret Julio-Augusto. Rami trichotomo-uniflori; flores longissime pedunculati eis *C. elatae* subduplo minoribus, pallide lutei, haud aurantiaci. *C. tatarica* pro qua nostram eandem esse lubenter olim habueram, differt, foliorum lobis angustioribus, inæqualiter serratis, caule ramis que pubescentibus, involucri squamis oblongo-lanceolatis, etc.

2. **Gymnocarpus Debeauxii** Gdgr.

Ramis albis, foliis apice attenuatis, longiuscule spinosis aristatis; stipulis triangulari-acutis, albo-scariosis.

Hab. in *Algeria* prope *Biskra*, ad ripas fluvii *Oued-Biskra* (*L. Debeaux* 1869). Dixi in honorem beati *Ludovici Debeaux*, rerum naturæ strenui indagatoris.

E grege, ut sequens, *G. decandri* Forsk. *Fl. Eg-Arab.* (ord. *Paronychiacearum*).

3. **Gymnocarpus algeriensis** Gdgr. — *G. decandrus* Desf. *fl. Atl.* 1, p. 203, *ex parte*. — Ch. Schmitt in *Fragm. fl. Alg. exsicc.* 2^e Série, n^o 41, non Forsk.

Ramis albo-griseis; foliis apice subrotundatis, brevissime aristatis, bracteis ovato-acutis, pallide albis.

Hab. in *Algeria*, circa *Biskra* (Ch. Schmitt).

4. **Pistacia brevifolia** Gdgr.

Foliolis rigidis, obovato-oblongis, dilatatis, utrinque paulatim attenuatis, 10-12 mill. latis, 24-26 mill. longis; racemis floriferis subpatulis.

Hab. in *Pyrenæis Orientalibus*, ad *Collioures*, loco dicto « *Consolation*. »

Frutex vel arbor elata, ut et tres sequentes, ad gregem *P. lentisci* L. *Spec.* 1455, spectantes.

5. **Pistacia subfalcata** Gdgr.

Foliolis subfalcato-convergentibus, oblongis, haud dilatatis utrinque paulatim attenuatis, 6 mill. latis 26-28 mill. latis; racemis floriferis erectis.

Hab. in *Gallia mediterranea* ad *Hyères* (Var).

6 **Pistacia Chouletti** Gdgr. — *P. lentiscus* Desf. *flor. Atl.* II, p. 365; S. Choulette in *Fragm. fl. Alg. exsc.* 2^e Série, n^o 323 non Lin.

Foliolis rigidis, oblongis, in parte media subdilatatis, utrinque sat attenuatis, 8-10 mill. latis, 27-33 mill. longis; racemis floriferis semi-patulis.

Hab. in rupestribus *Algeriæ* prope *Constantine*, loco dicto *Mécid* (S. Choulette).

Foliola basi præsertim magis attenuata quam in duabus præcedentibus.

7. **Pistacia multiflora** Gdgr. — *P. lentiscus* P. Savi in *Billot. exsicc.* n^o 1640 bis non Lin.

Foliolis rigidis, oblongis, in parte media dilatatis, utrinque sensim attenuatis, 10-12 mill. latis, 26-30 mill. longis; racemis floriferis condensatis, numerosis, erectis, multifloris.

Hab. in *Etruria*, circa *Pisam*, in *Monte-Pisano*, solo calcareo ad dumeta (P. Savi *loc. cit.*).

8. **Ornithopus glaber** Gdgr.

Glaberrimus; caulibus elatis, flexuosis, gracilibus, numerosis; foliolis late (3 mill.) obovatis, apice rotundatis; pedunculis 3-4 floris; folio (cum legumine) haud aut vix longioribus; calyce glabro.

Hab. in *Pyrenæis-occidentalibus*, circa *Bayonne* (Bordère).

Ex affinitate ut duabus sequentibus speciebus *O. ebrocteani* Brot. Fl. lusit, II.; *Arthrolobium ebracteatum* D. C. *Prodr.* II, p. 311.

9. **Ornithopus littoralis** Gdgr.

Minute villosus; caulibus erectis, brevibus, ramosis, gracilibus; foliolis obovato-ellipticis, apice subattenuato-rotundatis, 2 mill. latis; pedunculis 2-3 floris, folio (cum legumine) semper paulo longioribus; calyce glaberrimo.

Hab. in arenosis maritimis prope *Cannes* (Var), Ex Dom. Bompert accepi.

10. **Ornithopus microphyllus** Gdgr.

Minutissime aut vix pilosulus; caulibus numerosis, gracillimis ramoso-diffusis, brevibus; foliolis ellipticis, 1 mill. latis; pedunculis 1-2 floris, cum legumine) folio semper multo superantibus; calyce puberulo.

Hab. in monte dicto *Mauvars*, prope *Cannes* (Var).

DECAS XII.

1. **Thalictum integratum** Gdgr.

Foliolis parvis, obovatis, apice breviter attenuato-acutiusculis, basi subrotundatis, integerrimis, 8-13 mill. latis, 20-22 mill. longis; stipulis ovato-rotundatis, obtusiusculis.

Hab. in alpinis *Pyrenæorum*, ad *Esquierry*.

Ab omnibus sequentibus foliolis parvis, integerrimis nec 3-4 lobatis, valde recedit. Habitus gracilis, flexuosus, pauciflorus, sicut et 7 sequentes ad *Th. aquilegifolii* L. sp. 770, gregem, pertinet.

2. **Thalictrum platyphyllum** Gdgr.

Foliolis maximis, ambitu ellipticis, basi valde emarginato-cordatis, apice trifidis, lobis sat magnis, apice rotundato-obtusis, submucronatis, intense virentibus, 32-43 mill. latis, 38-46 mill. longis; lobo terminali apice trilobulato; stipulis brevissimis, elongatis.

Hab. in alpestribus *Delphinatus*, loco dicto à *La Grande-Chartreuse*, prope *Grenoble* (Isère).

Species robusta, elata, dense foliosa, foliola amplissima valde emarginata; panicula haud foliosa, quibus characteribus ab omnibus sequentibus conspicue discrepat.

3. **Thalictrum Borderi** Gdgr.

Foliolis sat magnis, ambitu obovato-oblongis; a parte media basi attenuatis, dein subrotundatis, sat intense viridibus, 14-30 mill. latis, 30-34 mill. longis, apice trilobatis; lobis mediocribus supra subattenuato-acutis, lobo terminali indiviso; stipulis ovato-triangularibus, obtusiusculis.

Hab. in alpinis *Pyrenæorum centralium*: *Gèdre* (Bordère).

Panicula laxa, foliosa, ramosa.

4. **Thalictrum obtusilobum** Gdgr.

Foliolis sat parvis, ambitu ovato-rotundatis, basi rotundatis nec attenuatis vel emarginatis, apice trilobatis, 16-21 mill. latis, 23-25 mill. longis; lobis sat pallide viridibus, sæpe bilobulatis, suborbiculatis, obtusissimis; lobo terminali sæpius trilobulato; stipulis parvis, triangularibus, obtusis.

Hab. in nemoribus Alpium *Delphinatus* : *La Grande-Chartreuse, Le Sappey prope Grenoble, Revel, etc.* (Isère).

5. **Thalictrum Pyrrha** Gdgr.

Foliolis mediocribus, mollibus, ambitu ovatis, basi rotundatis, 19-21 mill. latis, 22-26 mill. longis, læte viridibus, apice trilobatis; lobis ovato-rotundatis obtusissimis, præter lobum terminalem trifidum, lateralibus bilobulatis; stipulis rotundatis, apice subattenuatis.

Hab. in graniticis *Pyrenæorum centralium*, ad *Cauterets* (Maillard, C. Sauzé).

Panicula ut et in præcedente brevis haud foliosa; foliorum lobi breves, obtusissimi.

6. **Thalictrum tenerifolium** Gdgr.

Foliolis mediocribus, mollibus, ambitu ovato-rotundatis, basi subemarginatis, haud attenuatis, 19-21 mill. latis, 24-26 mill. longis, saturate viridibus, glaucescentibus, apice trilobatis; lobis ovato-triangularibus, apice attenuatis.

Hab. in *Pyrenæis centralibus* : *Gèdre* (Bordère).

Panicula, ut videtur, parva, haud foliosa, contracta; habitus subsimplex, gracilis.

7. **Thalictrum juranum** Gdgr.

Foliolis parvis, rigidis, ambitu obovato, basi subattenuatis 10-11 mill. latis, 16-17 mill. longis, saturate viridibus, apice trilobatis; lobis parvis, triangulari-acutis, apice attenuatis, intergerrimis; stipulis parvis, triangularibus, acutis.

Hab. in *Jurasso idanensi*; *la Dôle*.

Flores purpurei in corymbum paniculatum, amplum, basi foliosum, dispositi; caulis robustus, elatus; foliola parva. Affinis videtur *Th. atropurpurei* Jacq.; (*Th. aquilegifolium* var. *atropurpureum* D. C. *Prodr.* I, p. 11).

8. **Thalictrum oxyphyllum** Gdgr.

Foliolis sat magnis, saturate viridibus, ambitu ellipticis, basi breviter attenuatis, 20-23 mill. latis, 27-32 mill. longis, apice trilobulatis; lobis ovato-acutis, apice abrupte mucronatis, lobo terminali trilobulato, lateralibus sæpe bipartitis; stipulis acutis, triangularibus, longiusculis.

Hab. in alpibus *Galliæ orientalis*: *La Grande-Chartreuse* (Isère).

9. **Linum Rochelianum** Gdgr. — *L. flavum* var. *uninerve* Rochel in Rechb. *Icon.* fig. 5,175, var. B.

Caulibus basi dilute purpureis; foliis inferioribus obovato-spathulatis, caulinis oblongo-subspathulatis, mucronatis, basi attenuatis, margine hyalinis, floralibus tandem (bractææ?) dimidiam partem inferiorem sepalorum brevioribus; capsulis subglobosis.

Hab. in *Galloprovincia*: *Le Luc*, (Var), in aridis.

Affinis, ut et sequens, *L. flavi* L. sp. 399, prope *L. tauricum* Willd. collocari debet.

10. **Linum bellidifolium** Gdgr.

Caulibus inferne subrubentibus; foliis inferioribus ovato-dilatatis, caulinis spathulatis, oblongis, submucronatis, basi attenuatis, margine hyalinis, floralibus dimidiam sepalorum partem inferiorem semper superantibus; capsulis ovatis.

Hab. in *Galloprovincia*, circa Hyères (Var).

Valde affinis *L. glandulosi* D. C., mihi hucusque imperfecte noti. — Folia radicalia dense rosulata, fasciculata, eis *Bellis perennis* similia, sed minora; petalorum limbus obovatus; flores, ut in nostro *L. Rocheliano* pulcherrime flavi.

Mo. Bot. Garden,

1897.

DECADES

PLANTARUM NOVARUM

Præsertim ad floram Europæ spectantes

AUCTORE

MICHAELI GANDOGER

Plurimum societ. sodali.

Qui sapit, vidit quanta extricata
et investigata restant.

(Fries, novit. flor. succ.
mant. III, p. 202.)

FASCICULUS II.

Mo. Bot. Garden.

PARISIIS

F. SAVY, BIBLIOPOLA.

Via dicta Boulevard Saint-Germain, 77

1876.

1825

à M. Trelease
hommage de l'auteur
M. Gandonger

DECADES
PLANTARUM NOVARUM

PK 281
.6349
876
fac. 2

Præsertim ad floram Europæ spectantes

AUCTORE

MICHAELI GANDOGER

Plurium societ. sodali.

Qui sapit, vidit quanta extricata
et investigata restant.

(Fries, *novit. flor. succ.*
mant. III, p. 202).

FASCICULUS II.

Mo. Bot. Garden.

PARISIIS

F. SAVY. BIBLIOPOLA.

Via dicta Boulevard Saint-Germain, 77

1876.

**Extrait du XXII^e Bulletin de la Société Agricole, Scientifique et Littéraire
des Pyrénées-Orientales.**

DECADES

PLANTARUM NOVARUM

PRÆSERTIM AD FLORAM EUROPÆ SPECTANTES.

DECAS XIII.

1. **Bellis croatica** Gdgr.

Caule 18-20 centim. alto; foliis patulo-erectis, apice submucronatis, 14-16 mill. latis, 5-5 1/2 cent. longis, margine dentatis; involucri squamis dorso subglabrescentibus, utrinque attenuatis, media parte dilatatis.

Hab. in Croatia, inter fruticeta prope *Fiume (Rossi)*.

— Hæc species, ut et quinque sequentes, ad gregem *Bellidis silvestris* Cyr. rar. II, p. XII. tab. 4 pertinent.

2. **Bellis subserrata**, Gdg.

Caule 20 cent. alto; foliis patulo-erectis, apice valde mucronatis, 10-11 mill. latis, 6 1/2-7 mill. longis, margine crebre arguteque serratis; involucri squamis extus omnino villosis, basi attenuatis, superne abrupte acutis, media parte haud dilatatis.

Hab. in Galloprovincia prope *Avignon (Vaucluse)*, ad graminosa.

3. **Bellis validula**, Gdgr.

Caule subbipedali; foliis erectis, integerrimis, apice haud mucronatis, 22-24 mill. latis, 10-11 cent. longis; involucri squamis extus minute parceque puberulis, basi nec attenuatis, superne dilatatis, rotundatis obtusisque.

Hab. in Croatia inter fruticeta, prope *Fiume* (Rossi).

4. **Bellis minor**, Gdgr.

Caule 8-10 cent. alto; foliis erectis, integerrimis, superne haud mucronatis, 6-7 mill. latis, 21-22 mill. longis; involucri squamis extus parce villosis, basi sensim attenuatis apiceque lanceolatis.

Hab. in pascuis Galloprovinciæ, circa *Arignon* (Vaucluse), et in regione mediterranea.

5. **Bellis decipiens** Gdgr.

Caule 13-18 cent. alto; foliis patulis, mucronatis, 12-14 mill. latis, 4 1/2-5 cent. longis, margine inæqualiter parceque dentatis; involucri squamis dorso minute hirtellis, superne lanceolatis, in media parte usque ad basin dilatatis.

Hab. in Gallia australi circa *La Valette* (Hérault), ex D. Ch. Verriet-Litardière.

6. **Bellis latifolia**, Gdgr. — *B. silvestris* Choulette in *Fragm. fl. alger. exsicc.* 2^e série n^o 53, non Cyr.

Caule 17-19 cent. alto; foliis erectis, submucronatis, 8 cent. longis, 16-18 mill. latis, margine inæqueserratis; squamis involucri dorso pubentibus, basi contractis, superne sensim attenuatis, media parte dilatatis.

Hab. in graminosis Algeriæ, prope *Constantine*, *Philippeville*, etc. (S. Choulette loc. cit.)

— Folia rosularia dense fasciculata, intense virentia ac crassiora; habitum robustum ei *Bellii rotundifolii* DC. (*Doronicum rotundifolium* Desf.) fere referens.

7. Polygala subvirgata, Gdgr.

Foliis radicalibus haud rosularibus, oblongis, vix spathulatis, caulinis oblongis, remotis, apice subattenuatis; alis trinerviis, angustatis, basi longe attenuatis, capsulam subexcedentibus.

Hab. in alpibus editis *Delphinatus*, prope *le Chenil* (Mathonet).

— E grege, ut et tres sequentes species, *P. amaræ* Jacq. *Vind.* p. 262; ej. *Austr.* tab. 412; *L. Sp.* p. 987.

8. Polygala Kunzei, Gdgr.

Foliis radicalibus dense rosulatis, late obovatis, spathulatis, obtusis, caulinis obovato-oblongis, obtusiusculis, subcondensatis; alis uninerviis, dilatatis, basi breviter attenuatis, capsulam longe excedentibus.

Hab. in montibus Thuringiæ, ex clariss. Dr. Kunze.

9. Polygala chloroptera, Gdgr.

Foliis radicalibus vix rosulatis, oblongo-spathulatis, obtusiusculis, caulinis subcondensatis, oblongis, acutis; alis trinerviis, virescentibus, basi valde subitoque contractis, capsulam longe superantibus.

Hab. in pascuis Galliæ orientalis prope *Bourgoin* (Isère).

10. Polygala bellidifolia, Gdgr.

Foliis radicalibus laxè rosulatis, late majusculèque elliptico-spathulatis, retusis, basi valde attenuatis, caulinis oblongis, superne sensim attenuatis, subremotis; alarum trinerviarum basi breviter attenuatarum capsulamque subæquantium nervulis (media excepta) vix prominulis.

Hab. in Saxonia ad collem *Bienitz* prope *Leipsig*, ex clar. Dr. Kunze.

DECAS XIV.

1. **Diplotaxis ruscinonensis**, Gdgr. — *D. erucoi-*
des O. Debeaux in *Soc. dauph., plant. exsicc.* n° 34, et
plant. Pyr.-Orient. exsicc., non DC.

Foliis ambitu obovato-oblongis, segmento terminali elliptico-
obtusis, lateralium autem (segmentorum) dentibus rotundatis;
siliquis minute hirtellis, subpatulo-erectis, 22-23 mill. longis;
pedicellis 6-8 mill. longis; petalis basi violaceis.

Hab. in Pyrenæis orientalibus, ad arva sabulosa vinetaque
circa *Perpignan*, ex Cl. amiciss. O. Debeaux.

— Rami subdivaricati; folia subtus sicut et margine minu-
tissime puberula; stylus angustatus. — Omnes istæ novæ
Diplotaxidis species ad gregem *D. erucoides* DC. *Syst.*
veg. II, p. 631, Jacq. Vindob. tab. 170, spectant.

2. **Diplotaxis leiocarpa**, Gdgr.

Foliis ambitu oblongis elongatisve, segmento terminali
obovato, acuto, lateralium autem dentibus triangulari-acutius-
culis; siliquis glaberrimis, omnino patulis, 17-19 mill. longis;
pedicellis patulis, 8-8 1/2 mill. longis; petalis basi violaceis.

Hab. in Gallia occitania prope *Narbonne* (Aude), ex beat.
Aunier.

— Rami erecti, conferti; folia glabra; siliquæ, etiam
juniores, glaberrimæ, crassæ; stylus valde incrassatus.

3. **Diplotaxis Sagoti**, Gdgr.

Foliis ambitu obovatis, sat angustatis, segmento terminali
elliptico, apice attenuato, lateralium dentibus copiosis, pro-
funde triangularibus; siliquis levibus, patulo-erectis, 23-

25 mill. longis; pedicellis 10-11 mill. longis; petalis omnino albis.

Hab. in Hispania boreali prope *Barcinonem*, ex Cl. Dr. P. Sagot.

— Rami erecti, breves, pauciores; folia parva, angusta, subglaberrima, glaucescentia; siliquæ juniores interdum minutissime hirtellis, dein glabræ; stylus conicus, acutus, superne eximie attenuatus, ita ut, hac nota, ab omnibus hujus gregis speciebus, sit valde conspicuus.

4. **Diploaxis longisiliqua**, Gdgr.

Foliis ambitu oblongis, segmento terminali obovato, obtuso. lateralium dentibus triangulari-acutis: siliquis junioribus subhirsutis, dein glabris, semi-patulo-erectis, 29 $\frac{1}{2}$ -32 mill. longis, angustioribus; pedicellis semi-patulis, 10-11 mill. longis; petalis basi subviolaceis.

Hab. in arvis vineisque Galliae mediterraneæ, circa *Massiliam* (P. Chabert herb.)

— Rami oblique ascendentes; folia saturate virentia, minute puberula, segmento terminali conspicue dentato; siliquæ graciles elongatæ: stylus multo angustior quam in *D. leiocarpam*.

5. **Diploaxis decipiens**, Gdgr.

Foliis ambitu oblongis elongatisve, segmento terminali obovato, triangulari-acuto, lateralium dentibus acutiusculis; siliquis minute parceque puberulis, omnino patulis, 22-24 mill. longis; pedicellis patulis, 13-15 mill. longis; petalis concoloribus, aut vix basi violaceis.

Hab. in ins. Corsicæ prope *Bastia*, in arenosis, loco dicto *Renella* (O. Debeaux).

— Rami conferti, erecti; folia tenera, subglaberrima, siliquæ ut et stylus incrassati.

6. Verbascum subalpestre, Gdgr.

Caule farinaceo, haud aut vix fistuloso, subsimplici; ramis arcuatis, laxis, raris nec paniculatis; foliis radicalibus obovato-oblongis, obtusiusculis, subintegris, subtus farinosis, superioribus integris, glabrescentibus, obovato-acuminatis, breviter petiolatis; bracteis lineari-lanceolatis, flores superantibus; glomerulis laxis, paucifloris, remotis, 3-5 floris, spicas laxis efformantibus; floribus longe pedunculatis; corolla lutea; staminibus albido-pilosis; calicis segmentis sub indumento basi praesertim suboccultatis; capsula ovato-elliptica, apice obtuso.

Hab. in subalpinis Galliae orientalis, ad *la Grande-Chartreuse* (Isère), in umbrosis loco dicto *le désert*, alt. 2,800'.

— Indumentum album; caulis basi tantum parce ramosus, ramis oblique ascendentibus, gracilibus; serraturæ minutissimæ, simplices, obtusæ; sepala 5-6 mill. longa. — Pertinet, cum tribus sequentibus, ad gregem *V. lychnitidis* L. sp. 253.

7. Verbascum rosellum Gdgr.

Caule fistuloso, pulveraceo, a basi vel apice ramosissimo; ramis erectis, elongatis, laxiusecule floriferis, paniculatis; foliis radicalibus oblongis, basi attenuatis, subpetiolatis, apice obtusis, crenatis, subtus albo-farinaceis; superioribus minute dentatis, pulvinatis, oblongo-acuminatis, sessilibus; bracteis obovato-lanceolatis floribus duplo brevioribus; glomerulis laxiusculis, 6-10 floris, spicas ramosas, elongatas efformantibus; floribus sat breviter pedunculatis; corolla ex luteolo-rosella; staminarum pilis luteo-albidis; segmentis calicis sub indumento haud demersis; capsula obovata, in tertia parte superiore subconstricta, dein obtusa, 4 1/2 mill. longa.

Hab. in incultis, secus vias Galliae orientalis, prope *Charnay* (Rhône), alt. 600', in solo calcareo.

— Caulis elatus, robustus, ramosissimus, ramis laxioribus erectis; indumentum album; serraturæ ovato-obtusæ, simplices; sepala basi dilatata, triangularia, 3 $\frac{1}{2}$ mill. longa, subduplo latiora quam in præcedente; radix sat parva.

8. *Verbascum pyrenaicum* Gdgr.

Glabriusculum, atrovirens; caule subtereto, parce farina-
ceo, superne ramoso; ramis brevibus, valde condensatis,
paniculam densissimam præbentibus; foliis radicalibus
oblongo-acuminatis, basi longe petiolatis, crenatis, subtus
minute pulvinatis; superioribus obovatis, abrupte acuminato-
contortis, sessilibus, dentatis; bracteis linearibus, flores
subæquantibus; glomerulis densis 7-10 floris, floribus brevi-
ter pedunculatis; corolla lutea; staminarum pilis subrosellis;
calicis segmentis sub indumento fere occultatis; capsula
obovato-oblonga, basi dilatata, superne attenuata, 7-8 mill.
longa.

Hab. in Pyrenæis Orientalibus, ad *Font-Romeu* supra
Mont-Louis (*O. Debeaux*), alt. 5,200'.

— Species elata, superne densissime ramosa; indumentum
pallidum; serraturæ triangulares, mucronatæ, simplices;
sepala lanceolata, 4 $\frac{1}{2}$ -5 mill. longo. Radix ignota, probabi-
liter crassa, sublignosa, sicut et in aliis ejusdem gregis.

9. *Verbascum subbiserratum*, Gdgr.

Subglabrescens, caule sat fistuloso, angulato, subglabro,
superne ramoso; ramis brevibus, laxiusculis, interdum patulis,
paniculam sat compactam præbentibus; foliis radicalibus
oblongo-obtusis, longiuscule petiolatis, crenatis, subtus gla-
brescentibus; superioribus autem anguste oblongo-acuminatis,
sessilibus; bracteis late obovato-acutis, floribus multo brevio-
ribus; glomerulis densis, 6-8 floris; floribus sat breviter
pedunculatis; corolla lutea; staminarum pilis albidis; calicis

segmentis sub indumento plane occultatis; capsula elliptica, obtusa, 4 $\frac{1}{2}$ -5 mill. longa.

Hab. in Gallia orientali, ad *Saint-Cyr-de-Châtoux* (Rhône), in aridis montis *Sevelette* dicti, alt. 1,900'.

— Species multicaulis, sat humilis, apice ramosa; serraturæ præsertim foliorum radicalium inferiorumque biserratae, ovato-obtusæ; indumentum caducum, album; sepala valde farinosa, basi dilatata, 3 mill. longa.

10. *Salix obtusisquama*, Gdgr.

Cortice juniore ex luteolo virescente, dein cinerascete; foliis oblongis, basi sensim attenuatis, apice abrupte acuminatis, glaucescentibus, adultis vero glabris; amentis gracilentibus, 54-60 mill. longis, a ramis subremotis, erectis, haud curvatis; squamis sordide luteo-rubentibus, apice obtusis, basi pubescentibus; capsulis.....

Hab. in Pyrenæis Orientalibus secus ripas fluvii Tet dicti, circa *Perpignan*, ex Cl. amiciss. O. DebeauX qui, in plantarum indagatione criticarum floræ Europeæ, mihi adjutor fuit indefessus, ideoque gratias quam maximas illi habeo.

— E grege *S. vitellinæ* L. sp. 1449. — Affinis *S. flavicolæ* Nob. *fl. lyonn.* p. 204, a qua differt foliis basi minus attenuatis, amentis minus patulis: staminarum squamis superne obtusis. Doleo quod capsulae sint ignotæ.

DECAS XV.

1. *Polygonum oligophyllum*, Gdgr.

Ramis raris, gracilibus, elongatis, teneribus, erectis, superne haud foliosis; foliis pallide viridibus, remotiusculis,

oblongo-acuminatis, basi attenuatis, vix petiolatis, planis, latioribus 2 mill. latis, longioribus 12-13 mill. longis; vaginis foliorum fusco-rubentibus 7-9 mill. longis, in appendices argenteas fissis; pedicellis subnullis; floribus solitariis; perigonii segmentis pallide roseis, extus anguste ex viridi maculatis.

Hab. in Austria circa *Vindobonam*, in arvis cultisque (J. Bayer).

— Rami graciles, vix foliosi; flores rari, remoti; caules subsimplices. Forsan e grege *P. Bellardi* All., sed, meo sensu, si meis transsilvanicis speciminibus fidem adhibeam, affinis videtur *P. virgato* Schur in *woch.* (1860) p. 353.

2. *Polygonum crispatum*, Gdgr.

Ramis numerosis, intricatis, erectiusculis, dein patulo-repantibus, brevibus, dense foliosis, haud striatis; foliis semipatulis late oblongo-subacuminatis, basi in petiolum dilatatum brevemque sensim attenuatis, margine valde crispo-undulatis, latioribus 4 $\frac{1}{2}$ -6 mill. lat., longioribus 18-21 mill. long.; foliorum vaginis 5-6 mill. longis, albo-argenteis, in appendices filiformes inaequaliter profundeque fissis; pedicellis subnullis; floribus solitariis geminatisve, roseis; perigonii segmentis dorso ex virente parce maculatis.

Hab. in arvis Galliae orientalis circa *Lugdunum* (herb. P. Chabert).

Species affinis *P. avicularis* L. sp. p. 519; *dan.* tab. 803, ramis robustis, purpurascens, valde foliosis floriferisque, basi intertextis; folia nervosa, interdum subpurpurea.

3. *Polygonum hygrogenes* Gdgr.

Ramis raris, gracilibus, elongatis, erecto-flexuosis, superne haud aut vix foliosis, minute striatis; foliis erectis, anguste

oblongo-acuminatis, basi longe attenuatis, margine planis, latioribus $2\frac{1}{2}$ - $3\frac{1}{2}$ mill. lat., longioribus 22-25 mill. long.; foliorum vaginis 4-5 mill. longis, ex albo pallidis, in appendices elongatas minutissimasque fissis; pedicellis nullis; floribus solitariis, saturate rubentibus; perigonii segmentis dorso anguste viride maculatis.

Hab. in paludosis subsalsis Corsicæ prope *Bastia*, circa stagnum *Biguglia* dictum. (O. Debeaux).

— Pro *P. gracile* Guss. *Inar.* p. 285, olim eum lubenter habueram. Etenim, habitu, refert ei *P. gracile* cujus specimina possideo ideoque cum specie mea sedulo comparare potui, sed folia latiora et rami magis elongati.

Totum gracilescens, flexuosum, parce ramosum; rami elongati, basi haut floriferi; appendices vaginalium saltem duplo tenuiores quam in præcedente; flores in apicem ramorum subspicati; folia subtus minute nervosa.

4. *Polygonum Richterii*.

Ramis intricatis, numerosissimis, sat elongatis, crassis, robustis, striatis, erectis, superne haud aut vix foliosis; foliis erectis, amœne viridibus, oblongis, petiolatis, utrinque attenuatis, margine subtus revolutis, latioribus $2\frac{1}{2}$ -3 mill. latis, longioribus 12-13 mill. long.; foliorum vaginis fuscis, 9-11 mill. longis, in appendices argenteas filiformes profunde fissis; pedicellis 1 mill. longis; floribus solitariis; perigonii segmentis intus amœne purpureis, dorso (apice excepto) omnino viridibus.

Hab. in herbosis Hungariæ circa *Pesth*, loco dicto *Hungati-Ruelle*. (L. Richter).

— Planta ramosissimo-dichotoma vix foliifera, itaque ad gregem *P. Bellardi* All. fl. ped. n. p. 207 forsitan referenda. Rami nodis incrassati; flores parvi, subporrecti. — Ex speciminibus transsylvanicis a D. Barth acceptis, *P. ramiflorum*

Janka in Linn. xxx, p. 559, valde affinis meo *P. Richteri* esse videtur, sed rami magis foliosi, folia angustiora, etc. — *P. arenarium* Waldst. et Kit. hung. rar. I, p. 69 autem, huc etiam pertinet si, recte determinata sint specimina hungarica in herbario meo asservata.

5. **Polygonum ligerinum**, Gdgr.

Ramis brevibus, numerosis, patulo-reptantibus, haud striatis; foliis erectis, subglaucescentibus, sat anguste obovato-oblongis, utrinque sensim attenuatis, subsessilibus, margine planis vel subtus subrevolutis, latioribus 2 1/2-3 mill. lat., longioribus 10-12 mill. long; foliorum vaginis pallide fuscis 2 1/2-3 1/2 mill. longis, subindivisis; pedicellis nullis; floribus geminatis ternatisve, ex albo roseis; perigonii segmentis extus fere omnino virentibus.

Hab. in arvis Galliae occidentalis prope Nantes (Loire-Inférieure), loco dicto Fenounire, ex D. L. De l'Isle.

— Rami basi subpurpurascens, superne erectiusculi, dense foliosi; folia sat nervosa, subfasciculata; flores in apicem ramorum spicati, condensati. — E grege, sicut et sequens, *P. aviculare* L. sp. p. 519.

6. **Polygonum nanetense**, Gdgr. *P. aviculare* a *triviale* Mutel fl. franc. III, p. 135.

Ramis intricatissimis, procumbentibus, numerosissimis, superne foliosis, viridibus, haud striatis; foliis patulis, saturate viridibus; ampliuscule obovato-oblongis, apice attenuatis, obtusiusculis, basi in petiolum angustum, longiusculum abrupte contractis, margine planis, latioribus 3-4 mill. latis, longioribus 8 1/2-10 1/2 long.; foliorum vaginis pallide fusco-subvirescentibus, 3 mill. longis, parce fissis interdumve indivisis; pedicellis 1 1/2 mill. long.; floribus geminatis;

perigonii segmentis intus albis, dorso late ex viride maculatis.

Hab. in arvis sabulosis Galliae occidentalis cum praecedente, ex D. L. de l'Isle.

— Flores remoti, pallidi; folio saturate virentia, vix nervosa, obtusiuscula; caules ramosissimi; rami dense intertexti, virentes.

7. **Polygonum pallens**, Gdgr.

Ramis brevibus, numerosis, superne laxiuscule foliosis, procumbentibus, dein erectiusculis, minutissime striatis; foliis semi-patulis, saturate viridibus, anguste lineari-lanceolatis, acutiusculis, basi attenuatis, petiolatis, margine subundulatis, latioribus 1-2 mill. lat., longioribus 12-13 mill. long.; vaginis foliorum intense fusco-rubentibus, 4-4 1/2 mill. longis, in appendices albas, filiformes, deciduas fissis; pedicellis 1 mill. longis; floribus solitariis geminatisve; perigonii segmentis intus albis, dorso amoene roseis.

Hab. in arvis Galliae occidentalis cum praecedente, ex Dom. L. de l'Isle.

— Flores imbricati, basi bracteis argenteis conspicue suffulti; folia virentia, subtus minute nervosa; caules valde ramosi, ramis erecto-patulis. — Affinis praesertim videtur *P. arenastro* Boreau *fl. du Centre*, 3^e éd. II, p. 559 quae ad gregem *P. avicularis* L. etiam pertinet.

8. **Convolvulus longipilis**, Gdgr. — *C. cantabrica* Gren. et Godr. *Flore de Fr.* II, p. 502 ex parte, non L.

Caulibus subadpresse hirsutis; ramis secundis, patulis, curvatis, elongatis; foliis basi mediocriter attenuatis, villosissimo-incarnis; calicis pilis numerosis, patulis, elongatis; sepalis late triangulari-lanceolatis; capsula ovata; corolla margine superne glabra.

Hab. in incultis aridisque Pyrenæorum Orientalium, circâ *Perpignan* (O. Debeaux).

— Rami laxi, parce foliosi, curvatim ascendentes; species villosissima, affinis ut et duæ sequentes *C. cantabricæ* L. sp. p. 225.

9. *Convolvulus villiflorus*, Gdgr.

Caulium pilis patulis; ramis subsecundis patulo-erectis, elongatis; foliis basi mediocriter attenuatis, villosissimis; calicis pilis copiosissimis, patulis, elongatis; sepalis late triangulari-lanceolatis; capsula globosa; corolla apice ad marginem ciliato-villosa.

Hab. in Hungaria centrali, comit. *alba*, in lapidosis graminosis prope pagum *Nadap* (Dr. J. A. Tauscher).

— Rami numerosi, sat remoti; pedicelli fructiferi magis elongati quam in præcedente. Tota planta eximie cano-villosissima.

10. *Convolvulus leptosepalus*, Gdgr. — *C. cantabrica* Guillon in Billot *exsicc.* n° 2,318 bis; Gren. et Godr. *loc. cit.* pro parte — non Lin.

Caulibus adpresse hirsutis; ramis porrectis, erectis, sat brevibus; foliis basi valde attenuatis, angustis, parce villosis; calicis indumento adpresso, interdum subpatulo, laxo; sepalis lanceolato-subulatis; capsula sub-globosa; corolla in apicem glabra.

Hab. in incultis Galliæ occidentalis prope *Mainxé* (Charente), loco dicto *Veillard* ex Dom. A. Guillon, (*loc. cit.*)

— Rami conferti, intricati, haud secundi, erecti nec deflexi vel arcuati; pedicelli fructiferi eis *C. villiflori* similes, subduplo longiores (7-10 mill. long.) quam in *C. longipili*.

DECAS XVI.

Nota: Sequentes decem species (si forsan exceperis *G. Villarsii* et *G. glabrifloram*), ad gregem *G. arvensis* Schult. *syst.* VII, p. 547 spectant sicque quoad earum classificationem ordinari possunt :

1. Species perigonii laciniis extus glaberrimis.

1. **Gagea Villarsii**, Gdgr. — *Ornithogalum*..... Vill. *Hist. plant. Dauph.* II, p. 269.

Bulbi tunica grisea, superne laciniato-fissa; folio radicali floribus multo longiore; pedunculis teneribus, gracilibus, sparse villosis, bracteis floralibus brevioribus; perigonii laciniis 16-18 mill. longis; stylo stamina æquante; capsula obovato-oblonga, utrinque sensim attenuata.

Hab. in pascuis alpinis *montis Cenisii Pedemontii* (Cogordan) et in alpihus *Delphinatus*.

— Caulis elatus; flores rari; bulbus parvus, subrotundatus; stamina dimidia parte inferiore perigonii breviora. — Hæc species, ut et sequens, cum *Ornithogalo silvatico* Pers ench.; DC. *fl. fr.* V, *suppl.* p. 315 quamdam habent affinitatem, sed bulbus laterali bulbulo haud præditus, ideoque melius ad *Gageam arvensem* Schult. utraq̄ue referri debent.

2. **Gagea glabriflora**, Gdgr.

Bulbitunica brunea, superne subintegerrima; folio radicali corymbum superante; pedunculis crassis, villosissimis bracteis florales excedentibus; perigonii laciniis 13-15 mill. longis;

stylo staminibus sublongiore; capsula triangulari-elliptica, basi conspicue attenuata, superne dilatata.

Hab. in cultis Galliae australis : *Vaughan*.

— Caulis duplo brevior quam in praecedente; bulbus ovatus; stamina dimidiam inferiorem partem perigonii subexcedentia.

2. Species laciniis perigonii dorso plus minus villosis.

a. *Folia radicalia corymbo breviora aut vix excedentia.*

3. **Gagea oligocephala**, Gdgr.

Bulbi tunica albida; foliis radicalibus glabris; pedunculis gracilibus, erectis, minute villosis, basi subsimplicibus, bracteas florales superantibus; perigonii laciniis 16-17 mill. longis, apice vix purpureis; stylo stamina multo superante; capsula obovata, superne vix attenuata, a tertia parte inferiore usque ad basim abrupte contracta.

Hab. in arvis Galliae australis : *Vaughan*.

— Species humilis, pauciflora, gracilescens, ut videtur, cum sequentibus, ad *G. arvensis* exacte spectans, sed caracteribus firmis constantibusque certissime distincta. — Caulis tener, apice puberulus; bulbus rotundus; perigonii segmenta extus indumento minuto, sat raro, obducta.

4. **Gagea Bonnassieri**, Gdgr.

Bulbi tunica ex albo fusca; foliis radicalibus margine parcissime villosis; pedunculis incrassatis, robustis, elongatis, dense hirsutis, a basi ramosis, inferioribus patulo-erectis, bracteas florales aequantibus; laciniis perigonii 18-20 longis, apice purpurascens; stylo staminibus multo longiore; capsula obovato-oblonga, superne parum contracta, in tertiam partem superiorem lateraliter emarginata, basi sensim sat attenuata.

Hab. passim in cultis Galliae centralis, prope *Pouilly-lès-Fleurs* (Loire), ex Dom. P. Bonnassieu.

— Caulis glaber, crassus, sat elatus, multiflorus; perigonii lacinae dorso hirsutae; bulbus fere ovoideus, duplo major quam in *G. oligocephala*.

b. *Folia radicalia corymbum multo superantia.*

5. **Gagea brevistyla**, Gdgr.

Superne tota villosissima, bulbi tunica ex albo subfusca; foliis radicalibus longissimis, glabris, superne subincurvis; pedunculis crassis, elongatis, villosissimis, erectis, basi parce ramosis; bracteis floribus multo brevioribus; perigonii laciniis 17 mill. longis; stylo stamina subexcedente; capsula obovata, apice subdilatata, inferne sensim attenuata.

Hab. in Gallia australi prope *Lattes* (Hérault), ex D. Ch. Verriet-Litardière.

— Caulis superne villosissimus, sat elatus, submultiflorus; flores conspicue hirsuti; bulbus, parvus ovatus.

6. **Gagea Versannei**, Gdgr.

Glabrescens; bulbi tunica pallide fusca vel ochroleuca; foliis radicalibus glabris, sat elongatis, apice incurvis; pedunculis teneribus, elongatis, a basi ramosissimis, minute villosopuberulis, erectis, bracteis florales aequantibus; perigoni laciniis angustatis, 13-14 mill. longis; stylo stamina subexcedente; capsula obovato-oblonga, basi sensim attenuata, superne dilatata.

Hab. in arvis montosis Galliae centralis prope *Palogneux* (Loire), ex D. J. Versanne.

— Bulbus ovatus, majusculus, valde radicosus; caulis glaber, brevis, sub-flexuosus, dense multiflorus; perigonii lacinae

dorso subglaberrimæ, apice haud aut vix purpurascens; tota glabrescens, saturateque virens.

7. Gagea lugdunensis, Gdgr.

Parce villosa; bulbi tunica fusca; foliis radicalibus superne contorto-deflexis, glabris; pedunculis teneribus, elongatis, gracilibus, parce hirtellis, basi conspicue ramosis, inferioribus subpatulis, bracteas florales haud superantibus; perigonii laciniis 16-17 mill. longis; stylo staminibus sat longiore; capsula obovato-oblonga, apice subattenuata, a tertia parte inferiore subito contracta.

Hab. in arvis Galliae orientalis, circa *Lugdunum* (P. Chabert).

— Species sat elata, subglabrescens; bulbus parvus, subrotundus; flores dense corymbosi.

8. Gagea recondita, Gdgr.

Minute et sat villosa; bulbi tunica albida; foliis radicalibus apice patulo-curvatis, glabris; pedunculis crassiusculis, dense hirsutis, basi sat ramosis, inferioribus patulis, bracteis floribus multo brevioribus; — perigonii laciniis 17-18 mill. longis; stylo stamina multo superante; capsula obovato-oblonga superne haud constricta, a tertia parte superiore usque ad basim longe attenuata.

Hab. in arvis Galliae orientalis propè *Villeurbanne* (Rhône).

— Bulbus minutus, ovatus; perigonii laciniæ apice glabræ; caulis sat elatus, submultiflorus.

9. Gagea longifolia, Gdgr. — *G. arvensis* Gaudefroy in Billot *excicc.* n° 3,908 non Schultes.

Sat villosa; bulbi tunica saturate fuscata; foliis radicalibus longissimis, apice curvato-deflexis, glabris; pedunculis sat

incrassatis, conspicue elongatis, hirsutis, omnibus erectis, bracteis floralibus subbrevioribus; perigonii laciniis 18-19 mill. longis; stylo staminibus multo longiore; capsula obovata, apice læviter attenuata, inferne sensim constricta.

Hab. in arvis Galliae borealis ad *Bicêtre* prope *Lutetiam Parisiorum* (E. Gandefroy loc. cit.)

— Caulis glaber, elatus; bulbus semi-ovatus, subduplo major quam in præcedentibus; flores numerosi, aggregati; perigonii laciniæ apice subpatulæ.

10. **Gagea subcongesta**, Gdgr.

Superne villosissima; bulbi tunica ex fusco albida; foliis radicalibus elongatis, glabris; superne rigidiusculis pedunculis sat teneribus, conspicue sublanatis, ramosis, brevibus, inferioribus patulis, bracteas florales subexcedentibus; laciniis perigonii 14-16 mill. longis; stylo stamina vix superante; capsula late obovata, superne constricta, basi sensim attenuata.

Hab. in arvis pascuisque Galliae orientalis, circa *Villeurbanne* (Rhône).

● Flores dense corymbosi; bulbus ovatus, parvus; caulis humilis, sub-glaber; perigonii laciniæ sat villosæ.

DECAS XVII.

1. **Pulmonaria longistyla**, Gdgr.

Indumento albo; caulium pilis elongatis, patulis, haud aut vix cum setis glanduliferis intermixtis; foliis oblongo-acuminatis, apice haud dilatatis, basi vix dilatatis, planis; calicis extus pilis elongatis rigidisque dense obducti segmentis

3 $\frac{1}{2}$ -4 mill. longis, superne subviolaceis; stylo ultra calicem longissime exserto; corolla 8 mill. diam. lata.

Hab. in Helvetiæ districtu Valdensi, in fruticetis montis *Azeindaz* dicta, supra *Bex* (Thomas).

— E grege, ut et sequentes, *P. mollis* Wolff in *Hel. fl. Wirc. suppl.* p. 13; *Bot. mag. tab.* 2,422; *Rehb. cent.* VI, fig. 696; *P. angustifolia* b. *mollis* Duby *bot. gall.*; *Mutel fl. fr.* II, p. 312, tab. XXXVIII, fig. 294, (calice longiore, stylo ultra calicem haud exserto!).

2. **Pulmonaria primulaeflora**, Gdgr.

Indumento albido; caulium pilis longiusculis, vix cum setis glanduliferis intermixtis; foliis oblongo-subspathulatis, abrupte acuminatis, basi attenuatis, planis; calicis saturate virentis extus pilis minutis copiosisque muniti segmentis 3-4 mill. longis; stylo calicis laciniis æquante; corolla majuscula, 13-14 mill. diam. lata.

Hab. in Hungaria, comitatus *Ileves* in valle dicta *Szépásztornyolgy* (Vrabélyi).

3. **Pulmonaria iodocalyx**, Gdgr.

Indumento albo, minutissimo, omnino glandulifero; caule dense breviterque villosoglanduloso; foliis oblongis, superne sensim attenuatis, basi dilatatis, rotundatis, planis, viscidis; calicis dorso amœne violacei pilisque subfarinaceis minute suffulti segmentis 5-6 mill. longis; stylo ultra dentes calicis subexserto; corolla 11-12 mill. diam. lata.

Hab. in Hungaria, comitatus *Pesth*, in silvis prope *Budam*, ex D. J. Freyn.

— Ob indumentum dense glandulosum, hæc species, ab omnibus cognitis, distinctissima; itaque nulli descriptarum vere affinis.

4. **Pulmonaria lissa**, Gdgr.

Indumento elongato ex albo ochroleuco; caulium pilis elongatis, subpatulis, nunquam glanduliferis; foliis oblongo-lanceolatis, acuminatis, basi haud attenuatis, planis; calicis virentis; extus pilis copiosis minute obtecti segmentis 5-6 mill. longis; stylo calicis lobis subbreuiore; corolla 7-8 mill. diam. lata.

Hab. in Helvetia, comitat. *Vaud*, in monte *Anzeindaz* supra *Bex*, ex D. Thomas.

5. **Pulmonaria chrysoblephara**, Gdgr.

Indumento aureo; caulium pilis elongatis, patulis, cum setis quibusdam glandulosis intermixtis; foliis oblongo-acuminatis, superne subdilatis, basi attenuatis, subundulatis; calicis saturate virentis, dorso pilis tenuibus minutissime tecti segmentis 8-9 mill. longis, apice subviolaceis; stylo calicis lobis breuiore; corolla 9-10 millim. diam. lata.

Hab. in fruticetis et pascuis subalpinis Austriae, circa *Augsbourg*, ex D. Broholmayer.

6. **Campanula Csepeliensis**, Gdgr.

Ramis floriferis erectis, laevissimis; foliis erectis, caulibus superioribus indivisis vel vix dentatis; calicis segmentis integris, basi glabris, sub anthesi erectis.

Hab. in Hungaria, comitatus *Pesth*, in grammosis insulae danubialis *Csepel* dictae, prope pagam *Srijet-Nyfalu*, ex Clar. Dr. J. A. Tauscher (*flora Csepeliensis exsicc.*)

— Ad formas gregis *C. patulae* L. sp. 232, pertinet cum alia sequente:

7. Campanula frutetorum, Gdgr.

Ramis floriferis patulis, rugoso-pulvērulentis; foliis patulis, caulinis superioribus dentatis; calicis segmentis inferne denticulatis, hirsutis, sub anthesi patulis.

Hab. in umbrosis Galliae centralis prope *Bourg-Argental* (Loire), ad fruteta.

8. Rosa cyanescens, Gdgr.

Glandulosa, elata, ramis elongatis, patulo-erectis; aculeis conformibus a basi dilatata aduncis, brevibus, ad ramos floriferos nullis; foliolis anguste oblongis acutis, basi breviter attenuatis, utrinque, subcæruleis, supra glabris, subtus, præter costam mediam parce villosam, omnino glandulosis, glanduloso-biserratis; petiolis fere omnibus glabris, rubiginosis, subinermibus; stipulis angustis, brevibus, eglandulosis; pedunculis 2-4-nis, valde glandulosis, 12-15 mill. longis; calicis tubo anguste oblongo, ex toto setuloso; sepalis pinnatis, deciduis... stylis liberis, glabris, exsertis, disco sat conico; petalis.....; fructu parvo, oblongo, basi depresso, superne conspicue attenuato, angustato; coccineo, 6 1/2-7 1/2 mill. lato.

Hab. in Gallia australi, ad sepes prope *Agen* (Lot-et-Garonne), loco dicto *Moirdac*, ex amiciss. O. Debeaux de Rhodologia jam optime merito.

— E sectione *Rubiginosarum*; ad gregem *R. Lemanii* Bor. *fl. du Centre* ed. 3, n° 875, et specierum affinium cum duabus sequentibus, pertinet. — Doleo quod petala sint ignota, sed verosimiliter pallide rosea, ut in *R. oblongicalyce* et *R. podostigma*.

9. Rosa oblongicalyx, Gdgr.

Tortuosa, tota glandulosa, ramis subarticulatis; aculeis conformibus, inclinatis rectiusculisve, basi parum dilatatis, ad

ramos floriferos copiosis; foliolis parvis, obovatis, inferne attenuatis, apice subcontractis, virentibus, supra glabris eglandulosisque, subtus valde rubiginosis, ad costam mediam pubescentibus, biserrato-glandulosis; petiolis subglabris, glandulosis, subinermibus; stipulis minutis, eglandulosis; pedunculis setulosis, 10-12 mill. longis, solitariis; calicis tubo elongato, hispido; sepalis anguste pinnatis, brevibus, dorso glandulosis, reflexis, deciduis; stylis exsertis, glabris, disco subplano; fructu oblongo, hispido, basi depresso, superne valde constricto, coccineo, 8-10 mill. diam. lato.

Hab. in petrosis Pyrenæorum Orientalium, ad montem *Saint-Martin* circa *Camélas*, prope *Thuir*, alt. 1,000'-1,200', (O. Debeaux).

10. **Rosa podostigma**, Gdgr.

Copiose aculeata, glandulosa, aculeis conformibus, inclinatis, parum dilatatis, longiusculis, ad ramos floriferos copiosis; foliolis parvis, obovato-acutis, basi attenuatis, viridibus, supra eglandulosis, subtus viscosis præterque costam mediam villosam ad nervos secundarios parcissime hirtellis, glanduloso-biserratis; petiolis aculeatis, sparse pilosis, rubiginosis; stipulis angustatis, superne glandulosis; pedunculis 1-2-nis, setulosis, 9-12 mill. longis; tubo calicis oblongo, a tertia vel dimidia parte inferiore usque ad basim sæpe hispido; sepalis pinnatis, glandulosis, deciduis; stylis exsertis, raris, glabris, interdum basi subcoalitis, attamen liberis; disco parvo, conico; fructu parvo, anguste oblongo, basi attenuato, superne valde constricto vel substrangulato, 7 $\frac{1}{2}$ -8 mill. diam. lato, coccineo.

Hab. in fruticetis Pyrenæorum Orientalium, ad *Castelnau* prope *Thuir* (O. Debeaux, *Plant. Pyr.-Orient. essicc.* 1872).

DECAS XVIII.

1. **Primula illibata**, Gdgr.

Caule folia superante; foliis obovatis, superne rotundatis, basi in petiolum longum attenuatis, glaberrimis, integris, vel apice tantum vix subdentatis; pedunculis paucis, erectis; calicis parce farinosi segmentis acutiusculis.

Hab. in rupestribus alpinis *Delphinatus*, ad montem *Lautaret*, alt. 6,000'-7,500'.

— Cum sequentibus, spectat ad gregem *P. auriculæ* L. sp. 205; Jacq. fl. austr. tab. 413. — Radix sat longe reptans.

2. **Primula adenophylla**, Gdgr.

Caule foliis brevior; foliis ovato-ellipticis, sessilibus, superne obtusato-rotundatis, utrinque minute villosoglandulosis, margine ciliatis inæque et obtuse crenatis; pedunculis paucioribus, erectis; calicis haud farinosi segmentis ovato-obtusis.

Hab. in subalpinis Tyrolis meridionalis prope *Bordci*, alt. 6,500'-7,500' (G. Bernard).

— Distinctissima species, ob indumentum glandulosum. Radix truncatus, brevis, perpendicularis: segmenta calicis margine ciliata; pedunculi farinosi; corolla lutea, parum emarginata. — *P. Palinuri* Petagn. *Inst.* II. p. 332, ex descriptione, sat affinis est huic speciei. Insuper, *P. Bulbisii* Lehm. *prim.* p. 45, secundum specimina ex Italia superiore nuperrime accepta, quamdam etiam habet affinitatem cum mea *P. adenophylla*, sed evidenter diversa. Tandem, *P. carniolica* Jacq. fl. aust. V. p. 28, non habet nisi notas affinitatis

sat remotas cum mea specie. — Quoad *P. discolorum* Leybold in *Flora* 1855, p. 344, quam dicitur ortam e *P. auricula* et *P. daonensis* Leyb. *loc. cit.*, sicut et *P. venustam* Host *fl. austr.* I, p. 248, etiam hybridam dictam e *P. auricula* et *P. carniolica*, cum mea non possunt comparari, nam *P. adenophylla* seminibus fertilibus evidenter gaudet.

3. **Primula bavarica**, Gdgr.

Caule folia parum excedente; foliis oblongis, in petiolum longum et dilatatum attenuatis, superne rotundatis, utrinque glaberrimis, margine inaequaliter parceque obtusatim crenatis; pedunculis erectis, farinosis; calicis pulvinati segmentis ovato-obtusis.

Hab. in Bavaria, ad rupes calcareas montis *Kienberg* dicti, alt. 5,000'–5,500', ex Dom. Dr. E. Kugler.

— Radix oblique et sat longe reptans; folia lata, margine subtus minutissime ciliata; corolla profundius lobata quam in praecedente.

4. **Primula serratifolia**, Gdgr. — *P. auricula* Michelet in Billot *excicc.* n° 1,309 bis, non Lin.

Caule folia superante; foliis magnis, ample obovatis, apice subtriangularibus, in petiolum angustum, longum basi abrupte attenuatis, glaberrimis, utrinque conspicue farinosis, margine argute crebreque serratis, serraturis acutis, triangularibus; pedunculis farinosis, patulis deflexisve; calicis farinosi segmentis triangulari-sublanceolatis.

Hab. in Gallia orientali, circa *Baume-les-Dames* (Doubs), in rupibus *Chatard* dictis, ex D. D. E. Michelet et E. Poux (*loc. cit.*).

Folia ampla, valde serrata, margine minute serrata; pedun-

culi subduplo longiores quam in precedentibus; radix horizontalis, longissime reptans; corolla valde marginata, lobis 5-6 millim. profundis.

5. *Primula leiocalyx*, Gdgr.

Caule folia duplo superante; foliis obovatis, superne sensim obtusatis, in petiolum longiusculum basi sensim attenuatis, utrinque glabris, margine indivisis vel interdum apice vix sinuatis, haud ciliatis; pedunculis erectis, nec farinosis; calicis lævis segmentis late ovato-rotundatis, obtusis.

Hab. in rupibus calcareis alpium Delphinatus, ad *la Grande-Chartreuse*, in monte *Grand-Som* dicto, alt. 5,000'-5,800'.

— Radix sub-perpendicularis, brevis; folia haud aut vix farinosa, integra; corollæ lobi submarginati, apice denticulati.

6. *Onopordum nivescens*, Gdgr. — *O. illyricum* Cariot *Étude des fl.* 5^e éd. II, p. 325 non Lin.

Conspicue valdeque cano-niveum, indumento albo-floccoso; segmentorum foliorum lobis integerrimis, haud spinosis; pedunculis decurrentibus simpliciter lobato-spinosis; involucri basi lanati squamis lanceolato-linearibus, inferne 3 1/2-4 mill. latis, apice viridibus.

Hab. in Gallia orientali circa *Lugdunum*, *Vernaison*, *Givors* (herb. P. Chabert). Habui etiam ex incultis Gallie australis, sed loco proprio non notato.

— Folia radicalia candidissima, caulinariorum inferiorum parum pinnatifida; rami elongati, alis vix spinosis. — Pertinet ad gregem *O. illyrici* L. sp. 1158 cum forsitan sequentibus.

7. *Onopordum acanthophorum*, Gdgr.

Indumento floccoso, sat raro; lobis segmentorum foliorum margine 2-3-spinis lateralibus saepe munitis; pedunculis

alatis, alis bi-trilobulato-spinosis, lobulis inæqualibus, margine valde horridis; involucri basi parce lanati squamis inferne ovatis, dein in spinam robustam abrupte prodeuntibus, superne purpureis, 4 $\frac{1}{2}$ -5 mill. latis.

Hab. in arvis Corsiciæ prope *Bastia*, loco dicto *Renella*, ex D. O. Debeaux.

— Planta potius virescens quam albida, triplo spinosior quam *O. nivescens*: rami breves, alato-horridissimi; folia radicalia et caulina inferiora virentia, profunde pennatipartita; capituli paulo minores quam in præcedente. — Hæc species sicut et sequens magnam affinitatem habent cum *O. horrido* Viv. fl. Cors. p. 14.

8. **Onopordum transiens**, Gdgr. — *O. illyricum* var. b. *giganteum* Mutel fl. de franç. II, p. 181.

Indumento ex albo virescente, laxiusculo; lobis segmentorum foliorum integris, haud spinosis; pedunculis alatis, alis bilobulato-horridis, lobulis spinosis, subinæqualibus; involucri basi levis squamis oblongo-lanceolatis, inferne 5 mill. latis, apice purpureis.

Hab. in Pyrenæis Orientalibus, ad mœnia urbis *Perpignan* (O. Debeaux); prope *Narbonne* (Aude), ex Mutel (loc. cit.), et in *Corsica* prope *Calvi* (Soleirol).

— Rami interdum breves, tum spinosissimi; alæ minus spinosæ quam in præcedente; folia caulina magna, parum pennatipartita; indumentum tandem albidum; planta præcedentibus intermedium præbens.

9. **Cyperus ligusticus**, Gdgr.

Foliis inferioribus quartam caulis partem inferiorem vix superantibus; bracteis patulis; squamis acutiusculis, basi tantum fulvescentibus; seminibus globosis.

Hab. in humidis Liguriaë, circa *Mentone* (Alpes-Maritimes) ex D. G. C. Joad.

— Capituli sat pauciflori, vaginæ intense fuscæ. — Ex specimenibus siculis a Da Reimbole nuperrime lectis, video hanc speciem sat affinem esse *C. Gussonii* Gasp. in Guss. *Syn. fl. sic.* II, p. 779; sed specimina e Sicilia allata caulibus humilioribus, spicis paucioribus, etc. gaudere videntur; unde diversa. Attamen, cum sequente, affinis est præsertim *C. flavescens* L. sp. p. 68.

10. **Cyperus obtusiusculus**, Gdgr.

Foliis $\frac{2}{3}$ sup. caulis haud excedentibus; bracteis erectis; squamis obtusiusculis, sæpissime omnibus flavescentibus; seminibus ovatis.

Hab. in humidis Galloprovinciæ, circa *Hyères* et prope *Massiliam* (Pignol).

— Humilior quam præcedens; capituli floribus numerosioribus gaudentes, ut etiam folia latiora; squamæ spicularum margine magis undulata.

DECAS XIX.

1. **Pyrola pedemontana**, Gdgr.

Foliis obovatis, a dimidia parte superiore usque ad apicem sensim attenuatis, basi contractis, petiolatis, minute denticulatis, 28-30 mill. longis. 16-18 mill. latis; caulis squamis minutissime dentatis.

Hab. in monte *Cenisio Pedemontii* (Mathomet).

— Cum speciebus infra descriptis, hæc ad gregem *P. secundæ* L. sp. 567; *Engl. bot.* tab. 517; *Fl. dan.* tab. 402; *Svensk bot.* tab. 566 pertinet.

2. **Pyrola mixta**, Gdgr.

Foliis ellipticis, a tertia parte superiore usque ad apicem sat abrupte contractis, basi subrotundatis, haud aut vix attenuatis, subintegris, 16-18 mill. longis, 9-11 mill. latis; squamis caulis inæqualiter subfissis.

Hab. cum præcedente (Mathonnet).

3. **Pyrola Winkleriana**, Gdgr.

Foliis ovatis ellipticisve, superne sensim parumque acutis, basi rotundatis, breviter dentatis, 28-30 mill. longis, 25-27 mill. latis; caulis squamis integerrimis.

Hab. in subalpinis Bohemiæ prope *Teplitz*, ad nemora (M. Winkler).

— Folia glauca; stigma duplo crassior quam in aliis speciebus hujus gregis.

4. **Pyrola alpestris**, Gdgr.

Foliis obovato-oblongis, a tertia parte inferiore usque ad apicem sensim longeque attenuatis, basi valde subitoque contractis subrotundatisve, acute serratis, 23-25 mill. longis; 9-11 mill. latis; caulis squamis integerrimis.

Hab. passim in nemoribus subalpinis *Delphinatus*, ad *la Grande Chartreuse* (Isère), locis dictis *Borinant* et *Col de la Ruchère*.

5. **Pyrola atrovirens**, Gdgr.

Foliis suboblongis, a dimidia parte usque ad apicem longe acuto-subacuminatis, basi sat abrupte attenuatis, breviter parceque dentatis, 37-39 mill. longis, 18-19 mill. latis; caulis squamis subintegris.

Hab. cum præcedente loco dicto *Saint-Bruno*, et circa conventum in abietis alpestribus, ubi frequens.

6. **Pyrola longifolia**, Gdgr.

Foliis oblongis, a tertia parte inferiore usque ad apicem longe contracto-acuminatis, basi subattenuato-rotundatis, breviter parceque denticulatis, 38-41 mill. longis, 17-18 mill. latis; caulis squamis inæqualiter undulatis.

Hab. hinc inde cum præcedente.

7. **Pyrola rossica**, Gdgr. — Sturm. fasc. XIII, tab. 13?

Foliis obovatis, præsertim a tertia parte superiore usque ad apicem sensim attenuatis, basi contractis, minute dentatis, 29-30 mill. longis, 16-17 mill. latis; caulis squamis integerrimis.

Hab. in nemoribus Rossicæ borealis circa *Saint-Pétersbourg*, ex Cl. R. Lenormand.

8. **Androsace Torrependoi**, Gdgr.

Foliis rosulatis, glabris, oblongis, superne acutis acuminate, basi valde longeque attenuatis, margine dentibus minutis copiose ornatis; scapo pilis sparsis obsito, oblique erecto; involucri foliolis oblongis, acutis, subdilatatis, basi longe attenuatis; calycis extus subglabri segmentis oblongo-acutis, 8 mill. longis, dorso pilosulis.

Hab. in collibus graminosis *Hispaniæ centralis* prope *Ciudad-Réal*, loco dicto *Santa-Cruz-de-Mudela* (C. de *Torrependo*). Ex eodem loco etiam habui a Cl. *Laguna* lecta.

Planta rubescens sat elata; scapi oblique ascendentes, 2-4, purpurei; calyx margine purpureo tinctus, laciniis ejusdem minute denticulatis, superne valde acutis, inferne subattenuatis. — Cum specie sequente pertinet ad gregem *A. maximæ* L.

9. **Androsace Tauscheri**, Gdgr. — *A. maxima* Tauscher *pl. hung. exs.* non L.

Foliis radicalibus laxe rosulatis, glabris, oblongis, superne vix acutis, basi vero abrupte contractis, minute remoteque denticulatis; scapo hirtello; foliolis involucri obovato-subacutis, basi breviter attenuatis; calycis extus subtomentosi segmentis oblongo-acuminatis, dorso pilosulis, 5-6 mill. longis.

Hab. in graminosis montosis *Hungariæ*, comit. *Alba* prope *Kutyavár* (*Dr. J. A. Tauscher*).

Scapi stricti, virentes: folia radicalia breviora quam in precedente; calyx virens, ejus segmentis vix sed profundius denticulatis; capsula ovata.

10. **Salix occitanica**, Gdgr.

Cortice rubente, dessicatione fusco, haud corrugato; foliis angustissimis, lanceolato-linearibus, acuminatis, supra parcissime araneosis, subtus incanis; amentis erectis, nec arcuatis, ad ramos nunquam contiguis, 20-23 mill. longis, 5 mill. latis; capsulis mediocribus, basi vix inflatis; squamis apice rotundatis ciliatisque. $\frac{2}{3}$ sup. capsulæ æquantibus.

Hab. in *Pyrenæis Orientalibus*, ad fruticeta secus ripas alvei derelicti fluxii *Tet* dicti circa *Perpignan*, ex D. O. Debeaux.

— E grege *S. incanæ* Schrank *Baier. fl.* 1^{re} éd. p. 230. — Affinis *S. Talenceanæ* Gdgr. *Flore lyonn.* p. 205, a qua differt præsertim amentis multo majoribus, cortice haud rugoso, squamis floriferis apice ciliatis, etc. *S. camptostachya* Gdgr. *loc. cit.* (*S. incana* b *viridis* Chabert in Cariot, *Étude des fleurs*, 4^e édit., t. II, p. 317, alia est species etiam de grege *S. incanæ*, sed a *S. camptostachya* et a *S. occitanica* cortice virente, amentis arcuato-subdeflexis, etc. conspicue discedens.

DECAS XX.

1. **Polygonum stricticaule**, Gdgr. — *Polygonum erectum* Reverchon *plant. alp. exsicc.* non Roth.

Caulibus erectis, basi subsimplicibus; ramis elongatis, flexuosis, striatis, apice subfoliosis; foliis erectis, saturate viridibus, late oblongis, utrinque attenuatis, latioribus 7-8 1/2 mill. lat., longioribus 45-50 mill. long., margine planis, integris; foliorum vaginis magnis, ex albo purpurascentibus; 8-10 mill. longis, in appendices elongatas, dilatatas inæque fissis; pedicellis 1 1/2 mill. longis; floribus solitariis geminatisve; perigonii segmentis intus roseis, dorso late intenseque ex rubro-virente maculatis.

Hab. in subalpinis Delphinatus circa *Briancon*, loco dicto *Menteyer*; ex D. Reverchon.

— Species, cum sequente, ex affinitate *P. erecti* Roth; D. C. Prodr. XIV, p. 95, magnitudine foliorum insignis; flores insuper, in apicem ramorum subspicati; fructus majusculus, obtuse triangularis; stipulæ amplæ, basi præsertim rubro notatæ.

Habitu, quidquam refert *P. nanum* Bory, sed rami multo magis elongati, folia triplo majora, etc.

Polygonum erectum Roth cum *P. aviculari* L. hucusque frequenter confusum, præter alios characteres, differt præsertim foliis uni nec plurinerviis, fructu subduplo majore, ramis superne minus foliosis, etc.

2. **Polygonum ruscinoense**, Gdgr.

Caulibus curvatim ascendentibus, crassis, flexuosis, striatis, a basi ramosissimis, intricatis, superne haud foliosis; foliis

subpatulis, saturate viridibus, late oblongis, apice breviter attenuatis, basi longe contractis, latioribus $6\frac{1}{2}$ -7 mill. latis, longioribus 26-34 mill. long., margine planis, integris; foliorum vaginis magnis, pallide albidis, basi bruneis, 6-7 mill. longis, inæqualiter lateque fissis; pedicellis 1 mill. longis; floribus 2-3-nis; perigonii segmentis intus albidis, dorso virentibus.

Hab. in arenosis Pyrenæorum Orientalium, secus ripas fluvii *Tet* dicti, prope *Perpignan*, ubi frequens, ex amiciss. D. O. Debeaux.

— Folia crassa, ut in præcedente, sed duplo breviora ac intensius virentia apiceque minus attenuata; rami breves, divaricati, densissime intertexti; flores majusculi, pallidi, fasciculati. — Habet quamdam affinitatem cum *P. litorale* Link. in Schrad. Journ. I, p. 54, sed folia uninervia, rami recti et flores majusculi.

3. *Schœnus vendeanus*, Gdgr.

Foliorum vaginis dilatatis, intense nigricantibus; caulibus 3 decim. longis, crassis, robustis; foliis erectis, crassis, caules æquantibus; capitulis late rotundatis, basi haud attenuatis, 10 mill. diam. latis; squamis ex nigro sat pallide bruneis, 2 mill. latis, basi haud aut vix attenuatis, superne sensim triangularibus nec vel vix mucronatis.

Hab. in pascuis Galliæ occidentalis circa *Chollans* (Vendée). ex D. Marichal.

— E grege, sicut et sequentes, *S. nigricentis* L. sp. p. 64. — *S. vendeanus* cum *S. attenuato* et *S. longifolio* a tribus ultimis speciebus discedunt, foliis caules saltem æquantibus superantibusve, et vaginis duplo latioribus, sæpe magis nigricantibus.

4. **Schœnus attenuatus**, Gdgr.

Foliorum vaginis latiusculis, sat pallide bruneis; caulibus 2 decim. longis, teneris, gracilibus; foliis erectis, numerosis, fasciculatis, tenuibus, caules æquantibus; capitulis obovato-triangularibus, basi valde attenuatis, 6-7 mill. diam. latis; squamis intense ac lucide nigricantibus, 1 mill. latis, basi contractis, superne longe attenuatis.

Hab. in graminosis Galliæ occidentalis circa *Plibou*, *canton de Sauzé* (Deux-Sèvres), ex DD. Sauzé et Maillard Herb. de la Flore des Deux-Sèvres, plant. exsicc.

— Caules subduplo breviores quam in præcedente; folia minora, densius fasciculata.

5. **Schœnus longus**, Gdgr.

Foliorum vaginis valde dilatatis, lucide atronigricantibus; caulibus 16-18 cent. longis, gracilibus; foliis apice subpatulo-curvatis, caules semper superantibus; capitulis ovatis, inferne subattenuatis, 6-7 mill. diam. latis; squamis lucidis, intense nigris, 1 $\frac{1}{4}$ mill. latis, utrinque, sed præsertim ad apicem mucronatis attenuatis.

Hab. in arenosis maritimis Galliæ australis, circa *Magnelonne* (Hérault), ex D. Ch. Verriet-Litardière.

— Folia laxa, subpatula; caules crassiores quam in *S. attenuato*; squamæ etiam intensius nigricantes.

6. **Schœnus pallescens**, Gdgr.

Foliorum vaginis angustatis, bruneis nec nigricantibus; caulibus 34-36 cent. longis; foliis erectis, $\frac{2}{3}$ sup. caulium æquantibus; capitulis ovato-subrotundatis, basi haud attenuatis, 7-8 mill. diam. latis; squamis pallidius fuscatis, 1 $\frac{1}{2}$ mill. latis, basi subdilatatis, apice attenuatis aristatisque.

Hab. in herbosis collium Galliae orientalis, ad montem *Saint-Benoît* prope *Belley* (Ain), haud procul e cataracta *Glandieu* dicta, ex D. Martin.

— Species elata, foliis caules haud æquantibus, ut etiam notandum est in duabus sequentibus.

7. *Schœnus subcontortus*, Gdgr.

Foliorum vaginis brevibus, angustis, basi tantum lucide intenseque nigris; caulibus 37-39 cent. longis, superne subflexuosis; foliis apice curvatis subcontortis, $\frac{2}{3}$ sup. caulium æquantibus; capitulis obovatis, inferne subattenuatis, 5-6 $\frac{1}{2}$ mill. diam. latis; squamis sat pallide fuscatis, 4 $\frac{1}{2}$ mill. latis, basi haud aut vix contractis, superne attenuatis, mucronatis.

Hab. in humidis Galliae occidentalis prope *Poitiers*, loco dicto *Mezeaux*, ex D. P. Deloynes.

— Folia elongata, dense fasciculata, tenera; caules apice subnutantes.

8. *Schœnus megalocephalus*, Gdgr.

Foliorum vaginis dilatatis, intense nigris haud lucidis; caulibus 30-33 cent. longis, crassis, erectis; foliis erectis, dimidiam caulium inferiorem partem vix superantibus; capitulis ovatis, inferne subattenuatis, 10-12 mill. diam. latis; squamis intense lucideque nigris, 4 $\frac{1}{2}$ mill. latis, basi vix contractis, in apicem sensim attenuatis, nec mucronatis.

Hab. in arenosis Galliae occidentalis, prope les *Sables-d'Olonne* (Vendée), ex E. Marichal.

— Folia ut et caules majores quam in *S. pallescente* et *S. subcontorto*; vaginæ elongatæ.

9. **Cyperus robustior**, Gdgr.

Caule robusto, subtripedali; foliis latis; bracteis longissimis, erectis; spicis numerosissimis, capitulum multiflorum, valde confertum efformantibus; squamis basi attenuatis, apice acutis, aristatis.

Hab. in inundatis Galliae mediterraneae prope *Marseille*, ex D. Pignol.

— Accedit, cum *C. oligantho*, ad gregem *C. Monti* L. fil. suppl. p. 102; attamen, *C. robustior* noster, melius, forsitan affinis *C. polystachydi* Rottb. progr. p. 21.

10. **Cyperus oliganthus**, Gdgr.

Caule 35-40 centim. alto; foliis sat angustis, caules vix excedentibus; bracteis elongatis, patulis; spicis paucioribus, laxis, remotis, brevibus, capitulos paucifloros efformantibus; squamis inferne haud attenuatis, in apicem obtusiusculis, nec aristatis.

Hab. in paludosis Galliae orientalis, circa *Lyon*, loco dicto « *Tête d'or*, » ex herbario indefessi P. Chabert.

Spiculorum squamae basi potius dilatatae; species ob staturam humilem conspicua.

**Emendanda ad fasciculum primum decadum
I-XII spectantia.**

Decas I, n° 3, lin. 5 in nota, adde :

Hæc species, sicut et sequens, pertinet ad gregem *Rumicis scutati* Linn. spec. 480.

Dec. III, n° 1, lin. 1, loco « Daphne orogenes, » lege :

Daphne brigantiaca Gdgr.

Dec. III, n° 2, linn. 2. ab ima, loco « a tribus sequentibus » lege : « a duabus sequentibus. »

Dec. III, n° 10, loco « etiam ad nostram accedit speciem, quæ sit » lege : etiam ad nostram accedit speciem. Quænam sit..... etc.

Post descriptionem *Iridis polychroæ*, adde : Per decem annos hæc species culta, loco natali seduloque observata, capsulas fertiles nobis nunquam præbuit.

Dec. IV, n° 1. Loco Rosa Amansii Gand. pone : Rosa Chaubardiana, Gdgr., cum sit alia R. Amansii jam antea descripta.

Dec. VIII, n° 7, lin. 1. nota, post « ad Rosam armutam, Her; » loco Her. lege : Stev.

Dec. 8, n° 9, loco natali Salicis Liebmanni, adde: Specimina altera hujus speciei nuperrime accepissimus in Suecia arctica prope Stora, et circa Tana in Lapponia polari lecta. Unde species videtur specialis regionibus alpinis Europæ borealis.

Dec. IX, n° 1, ad descriptionem Rosæ Naiadis, adde;

Ex messe copiosissima speciminum ab amicissimo Dom. O. Debeaux nuperrime acceptorum, sic expleatur descriptio *Rosæ Naiadis*: foliola sat parva, supra subglaucescencia, serraturis creberrime denticulato-glandulosis; pedunculi sæpe solitarii; calycis tubus apice præsertim attenuatus; sepala latiuscule pinnatipartita, pinnulis margine hinc inde dentato-glandulosis, terminali subdilata; styli graciles, disco conico; petala rosea, margine haud ciliata.

Habitus gracilis, flexuosus.

Dec. XI, n° 1, lin. 9.

Loco natali, adde: Habui etiam e collibus montosis *Turkestanicæ*, inter *Boukara* et *Samarkand* lectam.

Dec. XII, n° 9, lin. 16, loco natali adde:

Eandem speciem copiose nuperrime accepi in *Hungaria centrali*, a cl. Doct. Tauscher, et in Banatu ad *Thermas Herculi*, ab illust. et reverend. Dom. Doct. Heynal, lectam.

Index specierum decadam I-XX.

Amelanchier	Aunieri	Dec. VIII	n ^o .	3.
»	fallens	»	»	— 5.
»	mucronata	»	»	— 1.
»	vallis-clausæ	»	»	— 2.
»	vapincis	»	»	— 4.
Androsace	Tauscheri	»	IX	— 9.
»	Torrependoi	»	»	— 8.
Bellis	croatica	»	XIII	— 4.
»	decipiens	»	»	— 5.
»	latifolia	»	»	— 6.
»	minor	»	»	— 4.
»	subserrata	»	»	— 2.
»	validula	»	»	— 3.
Campanula	csepeliensis	»	XVII	— 6.
»	frutetorum	»	»	— 7.
Centaurea	Chouletti	»	VII	— 5.
»	corsica	»	»	— 4.
»	littorea	»	»	— 3.
Cephalaria	decipiens	»	XI	— 4.
Cirsium	bactiacense	»	X	— 6.
»	haberianum	»	»	— 7.
»	longirameum	»	»	— 8.
Convolvulus	leptosepalus	»	XV	— 10.
»	longipilis	»	»	— 8.
»	villiflorus	»	»	— 9.

<i>Cotoneaster arvernensis</i>	Dec.	II	n°	2.
» <i>Mathoneti</i>	»	»	—	3.
» <i>pyrenaica</i>	»	»	—	5.
» <i>suboblonga</i>	»	»	—	4.
<i>Crepis amphisbena</i>	»	IX	—	7.
» <i>autaretica</i>	»	VI	—	9.
» <i>cichoroïdes</i>	»	III	—	8.
» <i>Deloynei</i>	»	»	—	9.
» <i>oxyphylla</i>	»	»	—	5.
» <i>Perrieri</i>	»	IX	—	6.
» <i>Rovi</i>	»	VI	—	8.
» <i>subglabrescens</i>	»	»	—	10.
» <i>trichosticta</i>	»	III	—	6.
» <i>vendeana</i>	»	»	—	7.
<i>Crupina etrusca</i>	»	X	—	3.
» <i>insularis</i>	»	»	—	4.
» <i>villosa</i>	»	»	—	5.
<i>Cyperus ligusticus</i>	»	XVIII	—	9.
» <i>obtusiusculus</i>	»	»	—	10.
» <i>oliganthus</i>	»	XX	—	10.
» <i>robustior</i>	»	»	—	9.
<i>Daphne alpestrivaga</i>	»	III	—	4.
» <i>autaretica</i>	»	V	—	2.
» <i>brigantiaca</i>	»	III	—	1.
» <i>chamæbuxus</i>	»	»	—	2.
» <i>helvetica</i>	»	V	—	3.
» <i>orogenes</i>	»	III	—	3.
<i>Diplotaxis decipiens</i>	»	XIV	—	5.
» <i>leiocarpa</i>	»	»	—	2.
» <i>longisiliqua</i>	»	»	—	4.
» <i>Sagoti</i>	»	»	—	3.
» <i>ruscinonensis</i>	»	»	—	1.
<i>Gagea Bonmassiei</i>	»	XVI	—	4.

<i>Gagea brevistyla</i>	Dec. XVI n°	5.
» <i>glabrifolia</i>	» »	— 2.
» <i>longifolia</i>	» »	— 9.
» <i>lugdunensis</i>	» »	— 7.
» <i>oligocephala</i>	» »	— 3.
» <i>recondita</i>	» »	— 8.
» <i>subcongesta</i>	» »	— 10.
» <i>Versannei</i>	» »	— 6.
» <i>Villarsii</i>	» »	— 4.
<i>Gymnocarpus algeriensis</i>	» XI	— 3.
» <i>Debeauxii</i>	» »	— 2.
<i>Hieracium harpago</i>	» VII	— 7.
» <i>tephrochlamys</i>	» »	— 6.
<i>Iris polychroa</i>	» III	— 10.
<i>Lavandula approximata</i>	» IV	— 10.
» <i>cladophora</i>	» IX	— 10.
» <i>corsica</i>	» IV	— 7.
» <i>Debeauxii</i>	» »	— 8.
» <i>decipiens</i>	» IX	— 9.
» <i>fascicularis</i>	» IV	— 6.
» <i>Guinandi</i>	» IX	— 8.
» <i>olbiensis</i>	» IV	— 9.
<i>Linum bellidifolium</i>	» XII	— 10.
» <i>Rochelianum</i>	» »	— 9.
<i>Onopordon acanthophorum</i>	» XVIII	— 6.
» <i>nivescens</i>	» »	— 7.
» <i>transiens</i>	» »	— 8.
<i>Ornithopus glaber</i>	» XI	— 8.
» <i>littoralis</i>	» »	— 9.
» <i>microphyllus</i>	» »	— 10.
<i>Passerina Chouletti</i>	» I	— 9.
» <i>Clementi</i>	» »	— 8.
» <i>telonensis</i>	» »	— 10.

<i>Pistacia brevifolia</i>	Dec.	XI	n°	4.
» <i>Chouletti</i>	»	»	—	6.
» <i>multiflora</i>	»	»	—	7.
» <i>subfalcata</i>	»	»	—	5.
<i>Polygala bellidifolia</i>	»	XIII	—	10.
» <i>chloroptera</i>	»	»	—	9.
» <i>Kunzei</i>	»	»	—	8.
» <i>subvirgata</i>	»	»	—	7.
<i>Polygonum Bourdini</i>	»	V	—	4.
» <i>erispatum</i>	»	XV	—	2.
» <i>hyrogenes</i>	»	»	—	3.
» <i>ligerinum</i>	»	»	—	5.
» <i>mollifolium</i>	»	II	—	9.
» <i>nanatense</i>	»	XV	—	6.
» <i>oligophyllum</i>	»	»	—	1.
» <i>pallens</i>	»	»	—	7.
» <i>Richteri</i>	»	»	—	4.
» <i>Royi</i>	»	II	—	8.
» <i>ruscinonense</i>	»	XX	—	2.
» <i>stricticaule</i>	»	»	—	1.
» <i>vesulum</i>	»	II	—	10.
<i>Primula adenophylla</i>	»	XVIII	—	2.
» <i>bavarica</i>	»	»	—	3.
» <i>illibata</i>	»	»	—	1.
» <i>leiocalyx</i>	»	»	—	5.
» <i>serratifolia</i>	»	»	—	4.
<i>Pulmonaria chrysoblephara</i>	»	XVII	—	5.
» <i>fissa</i>	»	»	—	4.
» <i>iodocalyx</i>	»	»	—	3.
» <i>longistyla</i>	»	»	—	1.
» <i>primulæflora</i>	»	»	—	2.
<i>Pyrola alpestris</i>	»	XIX	—	4.
» <i>atrovirens</i>	»	»	—	5.

Pyrola longifolia	Dec. XIX n°	6.
» mixta	» » —	2.
» pedemontana	» » —	1.
» rossica	» » —	7.
« Winkleriana	» » —	3.
Ribes tomentosum	» I —	2.
Rosa affinior	» II —	7.
» Amansii (Chaubardiana)	» IV —	1.
» Amici	» » —	2.
» apostigma	» IX —	4.
» Brippii	» VII —	1.
» calcarea	» VIII —	6.
» calyptocalyx	» IX —	2.
» cedrorum	» X —	9.
» Chaubardiana	» IV —	1.
» commiserata	» VI —	7.
» cordatifolia	» V —	1.
» cyanescens	» XVII —	8.
» Djurdjurenensis	» X —	10.
» geracantha	» VIII —	7.
» indifferens	» IX —	3.
» leptostyla	» II —	6.
» megalochlamys	» VII —	2.
» Naïas	» IX —	1.
» oblongicalyx	» XVII —	9.
» obtusispina	» IX —	5.
» phalacropoda	» VI —	6.
» podostigma	» XVII —	10.
» polyodon	» VIII —	8.
» stupens	» I —	1.
Rosmarinus Aunieri	» V —	8.
» eyamocalyx	» » —	9.
» massiliensis	» » —	7.

Rosmarinus platyphyllus.....	Dec.	V	n°	5.
» Verieti	»	»	—	6.
Rubus Debeauxii.....	»	II	—	1.
Rumex acmophorus	»	I	—	4.
» erythrocarpus.....	»	»	—	5.
» Verrietianus.....	»	»	—	3.
Salix cardiophyllos	»	VII	—	8.
» Chavanisii.....	»	»	—	9.
» corsica	»	I	—	7.
» cuneifolia.....	»	I	—	6.
» Ganderi	»	V	—	10.
» Liebmanni	»	VIII	—	9.
» melachroa	»	X	—	1.
» Micromeriaefolia	»	IV	—	3.
» myrioblephara.....	»	VIII	—	10.
» obtusispina.....	»	XIV	—	10.
» occitanica	»	XIX	—	10.
» parisiensis	»	I	—	5.
» Perrieri.....	»	IV	—	4.
» populoïdes	»	X	—	2.
» pseudo-pyrus.....	»	VII	—	10.
Schoenus attenuatus.....	»	XX	—	4.
» longus.....	»	»	—	5.
» megalocephalus.....	»	»	—	8.
» pallescens	»	»	—	6.
» subcontortus	»	»	—	7.
» vendeanus.....	»	»	—	3.
Sorbus alnoïdes.....	»	VI	—	3.
» arvernensis.....	»	»	—	5.
» controversa.....	»	»	—	2.
» platyodon	»	»	—	1.
» Reverchoni.....	»	»	—	4.
Thalictrum Borderi.....	»	XII	—	3.

Thalictrum integratum	Dec.	XII	nº	1.
» juratum	»	»	—	7.
» obtusilobum	»	»	—	4.
» oxyphyllum	»	»	—	8.
» platyphyllum	»	»	—	2.
» Phyrra	»	»	—	5.
» tenerifolium	»	»	—	6.
Verbascum pyrenaicum	»	XIV	—	8.
» rosellum	»	»	—	7.
» subalpestre	»	»	—	6.
» subbiserratum	»	»	—	9.



